



De
NEGATIONE.

DISSERTATIO

**QUUM PHILOSOPHICA TUM GRAMMATICA
COMPARATIVA**

QUAM SCRIPSIT

ET

**AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE**

IN

**UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA
GUILIELMA BEROLINENSI**

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE VII. M. JANUARIII A. MDCCCXL.

PUBLICICE DEFENDET

HIPPOLYTUS CEGIELSKI

POSNANIENSIS

CONTRA DISPUTABUNT:

ADALB. CYBULSKI, Phil. Dr.

MARC. MOTTY, Phil. Cand.

MAX. SZYMANSKI, Phil. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

QUAM SCRIPSIT

7-12-18

AUCTORITATE



218826

PRO SUMMA

RITE OBTINENDIS

DIE VII. M. JANUARI A. MDCCCL.

UNIVERSITÄT GÖTTINGEN

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

JOHANNI SUCHORZEWSKI

FAUTORI SUO BENIGNISSIMO

E T

JOHANNI MOTTY

PROFESSORI GYMNASII POSNANIENSIS

OB SUMMAM ERGA SE BENEVOLENTIAM

H U N C L I B E L L U M

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

DE NEGATIONE.

Das Einzige, um den wissenschaftlichen Fortgang zu gewinnen, ist die Erkenntniss des logischen Satzes, dass das Negative eben so sehr positiv ist, oder dass das sich Widersprechende sich nicht in Null, in das abstracte Nichts auflöst, sondern wesentlich nur in die Negation eines besondern Inhalts, oder dass eine solche Negation nicht alle Negation, sondern die Negation der bestimmten Sache, die sich auflöst, somit bestimmte Negation ist, dass also im Resultate das enthalten ist, woraus es resultirt. —

Hegel, Einleitung in die Wissenschaft der Logik.

Grammatices studium his temporibus tantopere naturam suam speciemque immutavit, tantosque et ad rerum amplitudinem et ad cognitionis altitudinem fecit progressus, ut servitii iugo, quod sibi a caeteris philologiae doctrinis impositum adhuc sustinuit, abjecto, in libertatem sese sibiue propriam dignitatem vindicaverit, atque justum meruerit nomen doctrinae. Quae dignitas Grammaticae paucorum quidem adhuc, sed doctissimorum hominum contigit studio atque labore. Perventum est autem eo via et ratione duplici. Harum altera ea est, qua viri veritatis omnigenae investigandae cupidi, philosophiae luce adjuti, ingrediantur; altera vero ea, qua per omnium linguarum silvam, materiemque temporum, locorum, populorum diversitate di-

gestam, ducamur omnino ad perspiciendam sermonis naturam, describendasque leges quum singularum linguarum, tum orationis in universum. Factum est vero hac universa ratione comparativa, cujus inventores cultoresque Fr. Boppius et Jac. Grimmus praecipue sunt habendi, ut fallaci illa, usque adhuc pressa, via derelicta, eam nacti simus disciplinam, quae non fortuitis angustioribusve quam par est limitibus circumscripta, historia atque legibus per omnes linguas pertinentibus nitatur. Philosophiae autem hoc potissimum acceptum referimus, quod mentis et intellectus potestatem vel in his grammaticis rebus, quae a philosophia toto coelo remotae videbantur, ratam probatamque reddidit, eoque effecit, ut corpori illi rerum grammaticarum quasi anima infunderetur visque impertiretur vitalis, quae ingentem illam molem magno labore congestam, ad ordinem atque rationem posset revocare. Quid quod veram doctrinam grammaticam eandemque philosophicam tantum abest, ut perfectam omnibusque numeris absolutam habeamus, ut ne in singulis quidem ejus partibus justo adhuc studio elaboratum sit. Nimirum docti illi viri, qui vere Grammatici dicuntur, nimia saepe rerum inventarum mole obruti, multo maiorem in singulis enucleandis perspiciendisque collocare coguntur operam, quam ut ad philosophicam earum rerum administrationem animum advertere possint: imo levi admodum parumque accurata philosophandi ratione multorum hominum deterriti, ab ejusmodi philosophia, quae nulla est philosophia, oculos avertunt, atque totam grammatices salutem veritatemque in historia et rebus, quae sunt in manibus, inveniri putant. Quod nescio an iis non in malam partem vertere debes, si id quod multi agunt, perpendis accuratius. Neque enim certo eos philosophos, neque grammaticos appellabis, qui minus id prae-

bent quod verum est, quam quod verum esse videtur, aut res quae sua sibi propria gaudent natura, ad certas quasdam acceptas formas utique accommodare student. Unde solet evenire, ut quod materiae grammaticae spreverint studium, hoc ipsum ab iis poenas repetat, et quod verissimum perhibuerint, id grammaticorum perscrutatione historica, verique ex re ipsa inventione petita, redigatur ad nihilum (1).

Hoc igitur Grammaticis nunc potissimum cordi esse debet, ut grammaticae pariter atque philosophiae suum cuique tribuant, et quod variarum linguarum investigatione atque comparatione e latebris enucleetur, id ipsum rationi vindicetur atque philosophiae. Quod equidem quantopere sim amplexus, ex eo velim cognoscatur, quod rei particulae saltem lucem afferre conatus sum. Neque autem verendum mihi est, ne de Negatione quum scribere susceperim, actum videar acturus. Nam res haec quo gravior est atque difficilior, eo magis jacet neglecta. Quodsi hanc mihi prae caeteris delegi provinciam, in qua juvenilem meam operam collocarem, feci id eam ob causam, quod Negationis vis atque potestas, ea potissimum, quam Hegelius ei vindicavit in investiganda cogitandi cogitativae natura, jam mihi dudum gravissima est visa, et cogitanti saepenumero de mentis atque orationis cognatione id mihi contigit, ut Negationis illius vestigia maxime in sermone expressa invenirem. Propterea mirari id satis non potui, quod nemo adhuc, nisi fallor, est inventus, qui subtilem

(1) Ejusmodi fere est liber, ceteroquin nequaquam contemnendus: Wissenschaft der Grammatik von G. L. Staedler. Conferre licet recensionem hujus libri, quam scripsit A. Benary in Annal. Berolin. (Jahrbücher für die wissenschaftliche Kritik, Juli 1834. No. 9. 10.)

illam Negationis significationem in oratione quoque agnosceret, agnitaque Negationem eo quo digna est modo pertractaret. Enimvero vel levi instituta linguarum comparatione, tum antiquarum tum earum quae nunc sunt, quis est, quem multiplicia discrimina propriaeque Negationis formulae non adeo offendant, ut quin naturam earum omni ex parte diligenter perspiciat, vix facere possit? Nec fugit ea res Grimmium doctissimum, qui in mirifico libro suo, obiter quidem, animadvertit, plurimum id fore ut prosit, si Negationum in variis linguis instituatur comparatio (2). Adeo tamen res haec neglecta est, ut in grammaticarum rerum serie Negatio vix ullum inter Adverbia obtineat locum; quam vero in grammaticis Graecis accuratorem paulo nacta est tractationem, eam maxime detestabili illi inter *οὐ* et *μή* discrimini debet, quod velis nolis quomodocunque statuere oportet. Maximum tamen vitium in eo positum mihi videtur, quod natura et significatione Negationis non plane perspecta, multi non sunt via quadam certa ac ratione ingressi: quod quam verum sit ut cognoscas, definitiones Negationis perlegere satis habebis. Etenim ne Hartungius quidem, qui rem hanc omnium doctissime plenissimeque exposuit, omnino crimine hoc absolvi potest (3). Quamobrem non videmur ad rei scientiam posse pervenire, nisi ad veram eamque logicam, ut a philosophis dicitur, Negationis

(2) J. Grimm's Deutsche Grammatik III. pag. 747. „Besondern Vortheil gewährt es, Verstärkungen und Abstractionen der Negation zu vergleichen, in welchen die fremden Sprachen mit den unsrigen übereinkommen.“

(3) J. A. Hartung's Lehre von den Partikeln der Griech. Sprache. II. p. 73. „Die Negation ist eine Beraubung und Trennung, und zwar eine Trennung, die zwischen dem Prädicat und Subject stattfindet.“

notionem recedamus, in ratione vero grammatica a multarum linguarum comparatione petamus auxilium. In hac re vero, quoniam Boppius doctissimus, ad cujus grammaticam comparativam quemadmodum ad aram est confugiendum, tum Grimmius etiam atque Hartungius vix aliquid non eruerunt, in eo mihi potissimum elaborandum esse videtur, ut quod hac de re hic illic dixerint, id ad logicam illam notionem, omnino ad rationem et ordinem studeam revocare, ut inde quae sit omnino Negationis natura, tum variis in linguis variarum negandi formularum quae sint leges, maxime appareat. Nam id potissimum in grammatica comparativa operae est pretium animadvertere, quemadmodum mens ratioque, quo magis in rebus singulis sese scindere et a se recedere quodammodo videtur, eo fortius sibi constet et eo magis ubique appareat praesens.

Rationem igitur dissertationis eam instituemus, quam res ipsa videtur poscere. Qua ratione quum praecipue contineri videantur quaestiones hae, quid sit Negatio, tum vero Negationis vera notio quas variis in linguis induerit formas et quasi vestes, quae earum sint differentiae, quae similitudines; tripartita erit tota haec disputatio. Fiet igitur ita, ut trium partium quaeque hoc sit tractatura:

- I. De Negationis notione et significatione;
- II. De Negationis variis nominibus et formis, quas variis in linguis suscipit, sive de Negationum etymologia;
- III. De Negatione in oratione continua, sive in plenis enunciationibus, quae solae veram efficiunt orationem, ideoque solae adaequatam Negationi praebent formam.

I.

De Negationis notione et significatione.

Mentio jam est facta definitionis Hartungianae, quae nemini haud dubie satisfacit; nunc addere liceat, neque in ullo libro grammatico latiore atque veriore Negationi contigisse descriptionem. Longum est omnes has enumerare; neque opus est labore, quum ubique fere iisdem circumscripta sit lineis. Posita autem est in eo, ut Negationem positioni contrariam esse dicat, reique positae privationem. Quodcunque igitur quis ponat aut determinet, Negatione determinationem hanc tolli; quodcunque alicui tribuas, sive rei sive homini, Negatione id quasi detrahi cogitandum esse; ita ut quocunque spoliatrix illa gradum tulerit, vix locus relinquatur, in quo aliquid fuerit positum. Quare fit, ut quidquid habueris, posueris, dixeris, post privationem illam vere habeas nihil: licet plenissima atque ditissima dictio fuerit, Negatio ejus, sive, id quod idem est, positionis contrarium, vacuo nihilo contentum sit necesse est. De falsa hac, vulgari tamen opinione, quam saepe ac graviter quereretur Hegelius, supervacaneum est dicere scientibus. Etenim vera hoc pacto negativae determinationis fieri solet spoliatio: in quo non est animadversum, determinationem, qualiscunque est, nunquam tale quid contrarium sibi posse habere, quod sit omnino non determinatum, aut quod nihil sit; quoniam ita utrumque ne contrarium quidem est (4). Immo hoc certum planumque est, vacuo illi nihilo non-

(4) Contrariorum vim et naturam vide quam Plato jam quum alibi, tum in Phaed. XV. E. ed. Stallb. designaverit accurate: Τοῦτο ἐν σκεπῶμεθα, ἃ ἀναγκαῖον, ὅσοις ἐστὶ τι ἐναντίον, μηδαμῶθεν ἄλλοθεν αὐτὸ γίνεσθαι, ἢ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐναντίου.

nisi aequae vacuum determinationem contrariam posse cogitari: quae vacuitate sublata, determinationem si impleas, hac ipsa re quae autionem effecerit, Negationem quoque impleri debere. Cujusmodi contemplatio quamquam potissimum est logices, quae in cogitandi cogitatarumque determinationum natura versatur investiganda; at veri tamen quod gaudet nomine, id minus veri appellatione nuncupari nequit, neque in grammatica, neque in ulla alia doctrina. Oratio enim quum sit rationis imago, naturam, leges, formas rationis prae se ferat necesse est: quod quantum ad Negationem valeat, cupimus demonstrare.

Neque vero quisquam logices hic explicationem desiderabit, cujus quidem cognitione, qui Negationem penitus perspicere velit, nemo certe carere potest. Hanc qui novit, tantum abest ut Negationem a determinatione vacuum esse contendat, ut omni eam sciat determinatione plenam esse, quin ipsam veram esse determinationem. Nescio etiam an nihil cuiquam magis sit persuasum, quam determinationem quamque, sive, quod non differt, quamvis cogitationem habere sibi contrariam. Quae contradictio, ut ita dicam, tantum abest, ut fatale sit cogitatarum determinationum excidium, ut vera sit earum vis et quasi adminiculum, quo nisae magis magisque augeantur evehanturque in majus. Nam primum quodvis cogitatum, quoad in suo quasi quodam involucro inclusum, sua propria vi contentum, jacet, omnino caret definitione: quodcunque enim definiri debet, fines sibi circumscribat necesse est, terminosque constituat. Hoc vero quum fit, res ex involucro illo et quasi extra se excedit, quam omni ex parte circumspicere, circumspectam certo possis definire. Nequaquam vero termini hi constituti, quibus, ut nomen indicat, rei determinatio continetur, a re ipsa alieni sunt, ne-

que extrinsecus advocati, quemadmodum lapides milliarum ex alieno agro petiti; imo positi sunt ita, ut ex re ipsa nati videantur et quasi evoluti, quo pacto ad rei ipsius naturam pertinere debent. At positi sunt tamen; quodsi eos ad rem illam primam referas, sunt ei oppositi. Quo fit, ut res ipsa, volens nolens, proprio suo bono aliam rem quodammodo ponat sibi adversam; quae ad primam illam relata, ingratis obrectationis culpam in se admittit, positionis vero, qua res prima illa gaudebat, oppositio fit sive Negatio, omnino aliud quid atque res illa principalis (das Andere Hegelii terminologia). Vacuitatis igitur nemo certe Negationem coarguere potest: quin eam potius justam positionem atque determinationem censemus, quae relata tantum ad aliud quid Negationis nomen trahit! Neque enim Negatio ea est, quae rei ejusque determinationis omnino sit privatio, nihilo relicto; verum potius, quum certae determinataeque rei sit negatio, ipsam certam ac determinatam Negationem esse oportet. Cui hoc minus liquet, is Negationem non aliud in universum esse meminerit, sed aliud hoc ad primam rem illam relatum, aliud esse atque res illa prima (5). Unde vides aliud hoc minime vacuitate laborare, imo ad quod referatur, ejus naturae atque determinationis plenum esse; ita ut significationem rei primae si tollere videatur, contineat in se sublatam (6).

(5) In alius notione omnino relationem latere jam ex eo colligi potest, quod in Sanscrita lingua nomen hoc ex ana demonstrativo, et ex tara, quod Comparativi est suffixum, compositum constat. Confer Bopp's vergleichende Grammatik p. 539. Etiam in aliis linguis relationem illam agnoscas ex adjectis particulis ^२/_१, quam, atque, als, nizeli, quae proprie comparisonis sunt.

(6) De duplici illa tollendi conservandique potestate verbi *Aufheben* conferre licet Hegel's *Wissenschaft der Logik* p. 45.

Enimvero tollendi haec vis, Negationis vera ac propria exhiberi solet, scilicet non quo sublatae rei qualicunque vi et significatione afficiatur, sed ita potius, ut nihil contineat. At res haec quoniam aliter se habet, et Negatione positio quidem tollitur, remanet tamen sublata atque obtinet; nemo certe Negationi quidquam de determinationis jure detrahere cupiet. Nam quod et rei Negationem et rem illam ipsam sublata[m] continet, id non video, quo pacto non plenius re ipsa prima possit haberi. Et revera plenius est. Quae aucta copulataque determinatio, rei novae ejusdemque simplicis denuo quum induit speciem; fit, ut nova haec, revera composita determinatio, specie simplex, denuo aliam sibi adversam habeat, et ipsam Negationem: unde nova nascitur copulatio

Videtur res igitur eo deducta esse, ut vacuitate liberata sit Negatio, et propriis suis armis contra suos spoliatores defensa, vindicato plenae significationis jure. Etenim est Negatio, dum ad positionem sibi adversam refertur; ipsa per se spectata nihilo minus positionis vim habet et significationem. Quae duplex Negationis natura efficit, tum negativa tum positiva, ut idem sit quod positio illa prima, tum vero etiam omnino ab ea differat. Utriusque vero quum ea sit ratio, ut altera alteri tum amice jungatur, tum hostiliter adversetur: vi sua propria contraria tollitur una et altera determinatio. At tollendi quae sit potestas, jam supra est demonstratum, eumque habet finem, qui nova nata contineatur determinatione. Qua via atque ratione restitutio fit quodammodo positionis, neque tamen primae illius, sed ejus potius, quae sublata negatione, quasi postliminii jure, sit orta, sive Negationis Negatione (7). Unde Negationis

(7) Artis dialecticae, quae in ejusmodi valet rebus, subtilitates

Negatio positio esse apparet, ejusmodi tamen, quae sublatam contineat Negationem, et cui Negationis quasi obrussa jam antea adhibita fuerit. Jam logicen consulere oportet ad perspiciendam rationem, qua Negatio ex simplicissimo orta initio et quasi e fonte profluens, quo longius emetiatur spatium, eo plenior fiat ditiorque: nimirum propterea, quod qualicunque opposita est determinationi, quam tollit, plenae ejus significationis particeps fit, spoliisque detractis ipsam se munit atque instruit. Et satis quidem erit, exempli gratia, nonnulla categoriarum momenta leviter attingere. Primam enim eandemque simplicissimam notionem atque determinationem eam esse novimus, quae verbo *Esse* continetur (das *Sein*), Graecis τὸ εἶναι valet, cujus contrarium τὸ μὴ εἶναι est, sive nihil (das *Nichts*), quod hoc loco non differt (8). Est et non est qui dicit, maxime dicit contraria et pugnantia, quum determinatio verbo *Esse* inclusa mirum quantum ei, cui non est junctum, adversa esse videatur: neque tamen quemquam fugit, determinationes has, quippe quae primae sint omnium, omnique fere definitione careant, tantum abesse, ut contrariae sint et utique se invicem tollant, ut uno eodemque gaudeant significatu. Nec vero poeniteat quemquam largitatis, qua sibi usus videatur nihil sive non est idem appellando, atque *Est* (*Sein und Nichts ist dasselbe*) (9), quum hoc *Est* ipsum

gnaris potius in memoriam revocare possumus, quam docere minus gnaros, quum praesertim dissertationis fines, et sermonis latini rebus philosophicis non initiati culpa, perspicuitati satisfacere non sinant.

(8) Hic conferre licet principium Logices Hegelianae.

(9) Verba usu sancita, *Nihil, Nichts*, idēo parum conveniunt philosophicis subtilitatibus indicandis, quod utrumque qui pronunciat, facere non potest, quin in etymologica vocum significatione haereat. Eam igitur oportet esse vim mentis et intellectus, ut neglecto vulgi

nihilo plenius sit, quam non est sive nihil, pro contrariorum natura. Nihil igitur, philosophico verbi significato, prima est, eademque simplicissima Negatio, pariter determinationis expers, atque positiva determinatio Est, cui repugnat: nihilo minus tamen est determinatio, quae Est illud vi sua sublatum continet, atque Non est praebebat [das Nichtsein (10)]. Inde videre licet, Negationem nequaquam vacuum aliquid esse, sed rei plenam, cujus sit Negatio; quodsi nihil aut non est vacuitatis hoc loco speciem prae se fert, culpa est in positiva determinatione, quae ipsa minus continet, quam ut ad Negationem implendam multum possit conferre. At habet dialectica intellectus ratio eam sibi propriam vim et innatam, ut iis quae contraria fuerint, in unum copulatis, pleniori determinationi suam cuique evolvat Negationem; qua via ad Negationes pervenire potes pleniores, pro natura et plenitudine notionis, cujus contrariae ac sublatae materiem in sese recipiat Negatio. Fit igitur, ut determinatio das Dasein ab Hegelio nuncupata, primae illi proxima, non eam sibi habeat Negationem, quae Nihili vacuitate laboret, verum ejusmodi potius, quae totum illud Dasein teneat sibi vindicatum. Nomen Nichtdasein ad oculos demonstrat; quod tanto plenius est superiore illo Nihilo sive eo quod Non est continet, quanto hoc Dasein positivum antecellit Sein illud primum. Sed haec quidem satis faciant.

Ut igitur rem paucis verbis absolvamus, quum

usu, ipsam veram teneamus notionem. De etymologia verborum conf. infra, de qua etiam Hegelii Logic. I. p. 23. An. I.

(10) Monere hoc jam loco juvat, in oratione pariter atque in dialectica notionum significatione Negationem sese ipsam continere et contrarium positivum: Nichtsein id est, quod praeter vocem et notionem Nicht verbo Sein etiam determinatur.

praesertim grammaticis rebus, non logicis, consulendum videatur, hoc in animo habuimus demonstrare, Negationem non omnino vacuum esse privationem, sed eam potius, quae quum adversam tollat positivam determinationem, tota illa positiva impleatur materie et significatione. Quo fit, ut ipsa maximam possideat vim determinationis. Videbatur autem res paulo altius ex logicis esse repetenda, tum ut habeamus quod possit appellari et quasi rei sit fundamentum, tum quod res etiam grammaticas omnino ad rationis leges ac formas revocandas censemus. Nec vero hoc ita intelligendum est, ut quae sint doctrinae logicae determinationes, qui progressus, eorum vestigia res grammaticae servi instar necesse sit premant; verum hoc erit demonstrandum, verum Negationis significatum, qui ea contineatur definitione, ut rem tollat sublatamque proprio suo bono conservet (die Negation ist Aufhebung der Bestimmung), in oratione etiam intelligi et demonstrari posse, quin ibi etiam, ubi fortuna maxime dominari videatur, rationis potestatem legesque prae se ferre. Ex parte hac secunda etymologica, cujus maxime erit in simplici quaque dictione veram illam Negationis notionem exhibere, statim id dilucide apparebit.

II.

De vocabulis et formis, quibus Negationis significatus exhibetur in oratione, sive de Negationum etymologia.

Properabat disputatio nostra in antecedentibus eo potissimum, ut veram Negationis constitueret significationem. Apparuit vero ea verissima definitio, quae Negationem primum contrarii loco haberet, tribueret ei deinde vim necessitatemque tollendae notionis oppositae

postremum ipsi vindicaret plenam determinandi potestatem. Nimirum haec determinatio ad primam illam positivam relata, negativae fert determinationis speciem. Tria illa Negationis momenta et quasi stadia quae percurrit, si spectaveris, primo illo contrarii loco Negationem simplicissimam invenies, vix quodammodo definitam: quam simplicem Negationem habere et appellare liceat (das Ansich der Negation). Secundo illo, ut oppositae determinationis materie impleatur et augeatur, Negatio quasi gradu suo se movet, determinationemque extrinsecus petit; quod tantum abest, ut Negationis sit quaedam obtrectatio aut abalienatio, ut impleta, quasi postliminii jure, redeat in domicilium suum, veraeque determinationis munere fungatur. Quod tertium est quasi Negationis momentum (das An- und Fürsichsein der Negation). Trium vero harum formarum neque ulla est, quae in sermone propria sua quadam non appareat dictione: communi id quidem illa lege ac necessitate, qua, ut animus in corpore proprium sibi quoddam sibi que adaequatum efficit domicilium, cujus species et forma psychologorum doctrina animi vires prae se fert, ita orationis vocabula et dictiones mentis imaginem circumscribere debent.

Hoc igitur prae ceteris spectandum est, Negatio illa simplex, suapte vi contenta, quonam in oratione utatur signo? Neque vero ratio haec a communi illa, ne tantillum quidem, potest differre, quae est inter intelligentiam atque sermonem. Etenim orationis est, tum quod in intimo latet animo, depromere vocisque auxilio significare, naturali illa quadam functione, qua vel res inanimatae sonant, animantium autem alia cantu, alia etiam alia voce vitae indicant signa; tum vero ea maxime, quae in oculos et animum cadunt, percepta intellectaque propriis appellare nominibus. Propterea intimi

illi animi motus, quum puros fundant sonos, concinnitatis atque intimae affectionis signa, vocalibus proferuntur. Quodsi animus noster rerum quoque externarum quasi objectu afficitur, quibus perceptis vera efficitur intelligentia, vocales illae et voces affectione externa elictae inter se consonant, ideoque consonantibus vera rerum cogitatorumque efficiuntur nomina. Quemadmodum igitur rerum externarum perceptio et intelligentia quietem illam animi sensuumque perturbat, atque de occupatis triumphat; ita Vocales etiam Consonantibus occupantur, quo secundas nactae partes, Consonantium fiunt adminicula. Est hic itaque quasi triumphus intelligentiae atque orationis quae dicitur articulatae, quod rerum perceptio cognitioque vocibus maxime consonantibus significata primam illam animi teneritatem corroborat, vocalium autem sonoram continuationem interpellans, certis circumscribit finibus.

Quin vocem etiam Negationi illi primae designandae duplici hac via persequimur! Nempe quaerenda esse videtur tum in intimo animo, tum in rerum externarum perceptione et appellatione. Nam si homo animi tranquillitate delectatur, neque perturbatio ulla accedit extrinsecus, concinnitas haec animi sensuumque quasi positivae affectionis speciem praebet, indicaturque ob naturalem quandam vocum affinitatem claris illis canonicisque vocalibus, quales sunt a, i, e, prae ceteris. Quodsi quies illa animi atque concordia sive interiore quodam motu turbatur sive externo, discrepantia sensuum nascitur et contra interpellatores oppositio, quae fuscis altiusque petitis profertur vocibus o, u (11).

(11) Juvat consulere hac de re bene disputantem Staedlerium p. 36.: „Das Dunkle, Grauenhafte, Schauerliche . . . deutet sich durch das u an; dagegen ist es die lichte, in sich vertiefte und hei-

Primae autem oppositionis et contradictionis quum hae sint voces, Negationis etiam quis non videt prima haec ipsa esse signa? Sed hoc non nisi tactum volui.

At in rerum quoque externarum diversitate quam multa discrepant repugnantque et sibi et nobis! Quorum alia nunc tibi probantur, nunc minus; alia mutato loco mutataque forma apparent; multa requiris, quae videre consueveris aut habere; pro desideratis ponuntur tibi non requisita; multa appellari dicique audis, quae aliter se habere constat. Horum alia quum percipiuntur habenturque positiva et tibi affirmantur, alia contraria negativorum speciem prae se ferunt, significanturque vocibus mutua quadam cognatione junctis, maxime vero Consonantibus, quippe quae ad res externas intellectas referantur, philosophorum sermone etiam objectivas appellatas.

Ergo probabile videtur duo in oratione quaerenda esse Negationis vocabula: unum Vocale illud seu Subjectivum, Consonans hoc alterum, seu Objectivum. Nec desunt vestigia exemplaue ejusmodi discriminis. Fortasse enim Graecorum οὐ particulam ad vocalem illam Negationem possimus referre, cui voci quae sit insita vis repellens ac negans, supra est dictum. Quam opinionem, viri rerum grammaticarum peritissimi judicio fuisse comprobata, magnopere gavisus sum (12). Neque me fugit Boppii doctissimi opinio, qui particulam hanc a Zend. demonstrativo ava, Slavico owo, derivandum censuit (13); quae derivatio eo probari videtur, quod analogiam quandam habet derivationis na et

mische Innigkeit und Heiterkeit des Wissens und Empfindens, die ihren Ausdruck in dem i findet."

(12) K. W. L. Heyse in lectionibus suis de Grammatica philosophica sententiam protulit eandem.

(13) Fr. Bopp vergleichende Grammatik. p. 547.

ne particularum, de quibus mox sum dicturus; minus placet propterea, quod difficile est ad intelligendum, cur vocabula ad significationem paria fere, primum aequo jure una valuerint, deinde vero apud Graecos solos in differentiam tantam tamque stabilem scissa obtinuerint. Quod equidem hac de particula censui, id miro quodam modo quadrat in naturalem illam u vocis significationem, fietque fortasse, ut res haec infra, ubi de *οὐ* atque *μή* particularum discrimine erit disserendum, eveniat probabilior. Hoc loco commemorare satis habeo *οὐ* illud semper fere simpliciter respondentis esse respondendoque negantis: qui vero respondens negat, is repugnat et rem dictumve quasi repellit (14). Causam vero, cur particula haec in ceteris ejus stirpis linguis ex usu et ore hominum emigraverit, non dubitaverim ponere in usu consonantis particulae propendente: nisi eam in Latino haud agnoscere velis, quam et ipsam Hartungio particulam evanescentem appellare placuit (15), nos infra ad calculos vocabimus. Non omnino igitur vocalis haec Negatio aliena est a ceteris linguis, quum praesertim referre huc liceat fortasse a, negationem dialecti veteris septentrionalis (Altnordisch) a Grimmio citatam (16). Quam etsi non audeo exhibere primitivam, eoque minus *οὐ* particulae cognatam, vereor tamen ne Grimmii derivatio persuadeat nemini, qua eam ad *vätt* seu *vaett* litterae aspiratae abjectione revocandam censeret (17). Huc denique fortasse a negativum linguae Sanscrit. referre possis, quod Graecis in *ε* abiit; utrumque augmenti nomine cum verbis copulatum actionem

(14) De formis *οὐκ*, *οὐκί*, *οὐχί* confer infra.

(15) Hartung II. p. 79. 80.

(16) Grimm III. p. 715. sq. Exempla sunt: *ër* est; *ëra* non est; *sk al* debet, *sk ala* non debet, alia.

(17) Grimm III. p. 718.

praesentem negans in praeteritum amovet tempus (18). Quodsi Graecorum α privativum his etiam velis adnumerare, cum Boppio Negationem hanc a demonstrativo a Sanscr. derivare necesse est (19), ita ut α hoc non mutilatione αv particulae ortum esse, verum vi sua propria valuisse censeas.

At multo certiore, quippe quae et ad Negationis naturam accedat, et claras originis suae exhibeat notas, acceptam referimus derivationem Consonantis particulae negativae Boppio doctissimo. Quae, ut res ipsa postulat, minus animi nostri turbatum concentum ejusque vim repellentem significare debet, quam rerum ipsarum repugnantiam; sive, quod idem est, vocabulum requiritur, quod rem contrariam, aliam in universum denotet. Quid autem veri similis est, quam homini in rebus externis, in oculos cadentibus versanti potius, quam cogitanti suapte vi animi, propiora omnia positiva valuisse, quae quasi digito commonstrare voceque vim demonstrativam imitante posset appellare: remotiora vero omnia, his opposita, alia omnino, apparuisse Negativa, atque vocabulo et ipso quidem demonstrativo fuisse consignata, eo tamen, quod quum rem ultra amoveret, illud (jenes) significaret aut similia. Cui hoc minus liquet, is hominem sibi faciat rem non veram aut minus probatam ita notare, ut aliud commonstret, quod quum pronomine aliquo demonstrativo notetur, ad primum illud positivum relatum fungatur vice Negativi. Nisi vero vocum notatio ex rerum imitatione majorem haberet ad errandum proclivitatem, e Negationis ejusmodi significatione concludere non dubitarem, consonan-

(18) Bopp Grammatik d. Sanskrita-Sprache, 1834, p. 157, Anm.

(19) Bopp vergleichende Grammatik, p. 531, 536.

tem vocabuli talem fuisse oportere, cui vis quaedam insita esset demonstrandi. Nihil tamen conjecturis opus est, ubi Boppius per temporum linguarumque seriem particulam ejusmodi negativam ad Sansc. na demonstrativum referendam esse aperuit, quod quum hoc, illud significet, rei remotioris procul dubio continet notationem, simulque Negationem propter analogiam. Particulam vero hanc, in qua litera propendet consonans, objectivam appellabis, quia ad rerum refertur negationem, eamque facile agnosces in omnibus fere linguis familiae Indo-Europaeae. Itaque Graecis in *νη* abiit, valetque in compositis *νηλεγής*, *νηλίκους*, *νηκηδής*, aliis (20): propriam suam vim habet in particula *μή*, quam, si tibi placet minus literae n in m mutatio, ad aliud referas demonstrativum ma, quod Indis prohibebat (1). Tertiam ejus vocabuli formam *άν* prae se fert, ne id quidem nisi in compositione obtinens, quae Negatio aut immutatione ex na seu *νη* est oriunda, aut ad pleniorrem illam formam Sanscr. demonstrativi ana referenda (2), id quod optime in Buttmanni quadrat sententiam de plena sibi que propria vi *άνα* particulae, qualis apparet in verbis *άνάεδνος*, *άνάελπιος*, *άνάγνωστος*, aut in his etiam *άνηλεής* = *νηλεής*, *άνήκεστος* = *νηκεστος*, *άνηνεμία* = *νηνεμία*, *άώννμος* = *νώννμος*, *άνηλίκους* = *νηλίκους*. Immutata est paulo et quasi debilior facta vocalis particulae illius na et *μή* in ore Romanorum, Germanorum, Slavorum, quorum illi tum *nē* et *nī*, tum *nē*, *nī*, in, usu triverunt; ex Gothorum *ni* et *ne* exstiterunt in Sermone German. aevi medii (Mittelhochdeutsch) *ne* et *en*, quibus etiam un non separabile est adji-

(20) Bopp p. 535. Hartung II. p. 91. Grimm III. p. 747.

(1) Bopp p. 535. Hartung p. 106. sq.

(2) Bopp p. 531. 537.

ciendum (3). Lithuani item ne atque ni habent; Slavorum veterum est ne, ni, nie (4), Bohemorum et Serborum ne, Polonorum nie quadam ad molliendas voces inclinatione, quod hoc loco i interposito significatur.

Haec igitur sunt prima propriaque Negationis signa; vocabula quae tum vocalibus, tum praecipue consonantibus constant. Sunt vero nomina et quasi determinationes; sed per se spectatae, primo hoc loco vacuae, ideoque determinatione indigent certiore. Nam quum id quod contrarium est in universum denotent, sive id quod aliud omnino possit appellari, multum abest, ut certam definitamque praebeant determinationem. Qui enim na, ne, aut simile quid dicit, negat quidem aliud ponendo, sed neque ipsi liquet, neque cuiquam omnino, quid hoc aliud significet. Est igitur haec quasi communis negatio, accessione rerum certarum demum determinanda; unde etiam unum idemque omnibus fere Negationibus et omnibus linguis commune nomen. Prima haec Negationis est habenda significatio, et primum quodammodo, quod percurrit stadium.

Itaque proximum est videre, ut Negationis certior fiat determinatio; non adjectione quadam externa, sed vi ipsa innata jureque suo proprio. Est vero vis illa in eo maxime posita, ut repugnantiam aut intimi animi nostri, aut rerum significet: unde aut vox est, significationis analogia, homini elicit, aut res neganda aliud aut illud appellata. Quorum neutrum est, quin rem aliquam, repugnantiae causam, habeat antegressam: nam si aliud aut illud dicis, qui hoc potes dicere, nisi ha-

(3) Grimm III. p. 710. sq.

(4) Jos. Dobrowsky Institutiones ling. Slav. dial. veteris pag. 426 et 434.

beas, cui hoc dicas bono? Primam igitur rem aliquam antegressam cogitare necesse est. Neque autem res haec prima Negationem nihil attinet: imo Negatio nulla est, nisi sit rei alicujus Negatio. Quocirca res haec aequae atque definitio ejus ad Negationem etiam pertinet, eamque, ut certum quid neget, determinat, materie sua implet. Jam igitur vocabula illa $\eta\alpha$, $\mu\eta$, ne quidquid valent, id non nisi ad rem aliquam relata valent, cujus significatu definiantur et impleantur necesse est. Causam etiam in hac negativarum particularum egestate quaeras, quod ne unquam quidem in oratione locum solae expleant, semper ab aliis verbis, iis ipsis quae tollere volunt, petunt auxilium. Et tollunt ea quidem revera; non ita tamen, ut verba sublata negataque ad nihilum redigantur aut evolent ex hominum conspectu, verum potius ita, ut quod tollatur id in dictione negativa sublatum remaneat. Το $\mu\eta$ exempli gratia si dicis, dicis nihil fere, negandoque nihil negas; at dictionis cujusvis accessio, ut verbi $\epsilon\lambda\theta\alpha\iota$, explet vacuitatem illam. Quo fit, ut Negatio quasi excedat extra vallum suum, petatque auxilium ab hoste suo ipso. Advertas igitur velim animum ad eam potissimum Negationis potestatem, qua quodlibet verbum tollere queat, itemque quamlibet dictionem, suae ipsius satietatis gratia. Quod etiamsi ipsa sit egena, tamen ad infinitas divitias parandas est idonea; in quo eam cum histrione comparare lubet, qui quum ipse vix cujuslibet hominis assequatur honorem, prout res ferre solet, regis, servi partes suscipit. Est hoc Negationis stadium secundum.

Nunc tamen nescio an sit verendum, ne Negatio quidquam de jure suo suaeque potestate detractum patiatur, quod ad determinationem alieno opus ei est bono. Nam tollit quidem oppositam sibi dictionem, sed morte

sua quodammodo victoriam pensat: tollitur enim et ipsa. Quo fit, ut utraque pars tolli videatur. Evadit tamen, quod utriusque naturae ac potestatis est particeps, nempe quod verum exhibet Negationis significatum, determinationem negativam. Adeo vero Negatio, vi hac copulatrice, nonnisi determinationi valet, haec ipsa Negationi invicem, ut quod alterutri debeatur, difficile sit dictu. Etenim in unam coaluerunt significationem et dictionem, quae est habenda Negativa dictio. In qua demum veram est Negatio nacta significationem et formam, quia ex agro alieno in domum suam quasi regressa, rebus abundat necessariis, iisque bene ad determinandum utitur. Omnis igitur Negatio determinatio est vel in sermone. Est hic Negationis per stadia ad metam recursus.

Jam variarum in variis linguis Negationum quae sequitur enumeratio atque scrutatio, quum illa quae dixi comprobatura est, tum aptum praebet locum ad veram Negationum instituendam etymologiam. Varias itaque earum formas ac mutationes, per gentes et tempora deinceps pesecuturi, id ostendere im animo habebimus, quas Negatio passa sit vicissitudines, quibus juncta verbis usa sit proprio suo commodo, ita ut multorum ne vestigia quidem conspicias. Germanorum nicht ad oculos rem demonstrat, quod spoliis oneratum, itaque compositum, denuo fert speciem simplicitatis. Unde venit, ut quasi vidua ejusmodi Negatio secundum saepenumero ineat matrimonium; ad quod comprobandum nichts Germanorum, Gallorum ne pas, ex ne — unum — pas compositum, nunc satis habeo afferre. Plura exempla suis erunt locis promenda: haec eo tantum attuli animo, ut inde nunc jam appareat necessitas Negationis determinandae, qua determinatione significatum suum augeat, de vi sua nihil amittat.

Videamus igitur, qua via et ratione Negatio progrediatur, ut sese impleat atque determinet. Quamobrem jam primum in memoriam est revocandum, quod supra de particulis illis negativis, non separabilibus, est dictum, Graecis *μη, ἀν, ἀντα*, Latinis *ne, in*, Germanico *un*, Slavico *ne* et *nie*, quae adeo ipsae per se valent nihil, adeoque cum aliis junctae verbis in unam coaluerunt dictionem, Negativam ipsam, ut quum utraque pars de vi sua propria videatur concedisse, novum quodammodo verbum efficiatur, re Negativum, positivum specie. Compara haec: *μηκερδής, ἀθυμία*, *insperatus, Unrecht, niewola* (servitus), quae cuncta etsi negativa ad significationem, uno tenore ut positiva quaevis alia solent edici: neque quisquam talia pronuntians compositionis aut Negationis est sibi conscius. Quodsi sunt linguae, ut Slavica prae ceteris, quarum particulae illae negativae in compositionibus nullam passae sunt neque mutilationem, neque aliam quamvis mutationem; arctioris illius copulationis aliud quaerunt vinculum, quod in Slavicis linguis adeo obtinet, ut omnia vocabula, nomina, verba, particulas, et uno tenore pronuntiata invenias, et junctim scripta cum Negatione. Soli videntur Poloni id statuere discriminis, ut Verba separatim, cetera junctim scribant: quod vereor ne minus veritatem sequatur, quam usum fortuitum, imitandi fortasse studio. Arctiorem tamen vel apud ipsos copulationem Negationis et vocabuli cujusvis ex eo agnoscas, quod non modo in vere compositis bisyllabis *nie-cny, nie-zle*, sed etiam in separatim scriptis *nie-wiem* (nescio), *nie jest*, bisyllabis et ipsis quidem, vocis accentu in *nie* conquiescas necesse est; quum praesertim non desint etiam verba, quae usu sunt juncta, ut *niema, niemasz* (es giebt nicht). Nec desiderabis similia exempla in aliis etiam linguis, quod

comprobatum satis habeas Gothico *nist* (non est), veter. Germ. *enist* et *nist*, vet. septent. *ëra*, *kannat* [non potest (5)]. Quae Negationis vis adtrahendi tanta est, ut ne arctius quidem cum vocabulis copulatae particulae negativae, quemadmodum Graecorum, Romanorum, Germanorum ferunt linguae, vi propria sua intimam efficiant Negationis verbique junctionem. Mitto innumerabilia, qualia sunt *οὐ ποιοῶ*, *οὐ διάλυσις*, *ἡ μὴ ἐμπειρία* (6); ea tantum promenda sunt, quae Negationis adjectione non modo non affirmativum praebent verbi sensum, sed in contrariae omnino notionis significatum transire videntur. Afferunt Grammatici haec: *οὐ γημι* nego, *οὐχ ὑπισχνοῦμαι* recuso, *οὐκ ἐῷ* prohibeo, *οὐ κελεύω* veto, *οὐ στέργω* odi, *οὐ καλῶς* turpiter, *οὐχ εἷς* nemo, *οὐκ ὀλίγοι* multi, *οὐχ ἥκιστα* maxime, *οὐ πάνν* nequaquam, et alia (7).

(5) Grimm III. p. 710. 711. Heyse deutsche Grammatik I. p. 824. De veter. Slav. confer Dobrowsky p. 436 et 437.

(6) Nescio quid sibi velit Hartungius (II. p. 86.) qui de Graeco *οὐ* haec cecinit: „Wenn — *οὐ*, das Satzwort, mit einem einzelnen Nomen verbunden erscheint, so ist jedesmal eine Copula hinzuzudenken, d. h. die Verbindung ist in einen vollständigen Satz aufzulösen: Nicht-Christ ist einer, der kein Christ ist.“ Hoc modo vereor ne simplicissimas dictiones oporteat solvere.

(7) Annotatio. Ne propriam eamque necessariam rerum seriem et disputationis quasi filum nimia distractione rumpere videar, de discrimine particularum *οὐ* et *μή*, quae sentio hoc loco addere liceat. Etenim nulla fortasse res grammatica potest inveniri, quae tantum viris doctis exhibuerit negotii, tamque eos, frustra saepe, excruciet, quam haec inter *οὐ* et *μή* discriminis inquisitio. Neque etiam ulla est sententia, quae tot habeat sectatores, quam illa a G. Hermannno proposita, tum in Vigeri editione, tum in Opusculis, quae ea continetur ratione, ut *οὐ* particulae Objectivam, *μή* contra Subjectivam vim tribuat. „Ut brevi complectar (inter cetera dicit Hermannus p. 774, ad Vigerum), in omnibus hujusmodi exemplis *μή* spectat ad rem aliquam cogitatam.“ Jam ratio haec subjectiva et

Jam licet videre ex iis, quae adhuc dicta sunt, vim illam ac necessitatem Negationis, qua positiva quae-

objectiva quam vaga sit, incerta atque dubia, propterea ad errandum proclivis, merito Hartungius monuit II. p. 104., ubi etiam vere animadversum invenies, μή particulam, pro significato hoc subjectivo, Optativi semper comitem esse debuisse. Sed quoniam distinctio ejusmodi vere philosophicae distinctionis speciem prae se fert, et particulae μή subjectiva hac appellatione maximus videtur habitus esse honos — quamquam subjectiva omnia mirum quantum objectivis sunt postponenda philosophorum doctrina — evenit, ut longe plurimi Grammatici in verba haec valde speciosa jurarent et religiose sententiam hanc tuerentur. Nam Mathiae totus ex hac pendet doctrina. Buttmanus magis rei sentit angustias, quam novi aliquid statuit, nisi quod μή dictionum esse facit ex aliis pendentium. A quo non multum differt Thierschii doctrina, cui οὐ vi sua propria negat, μή vero ad aliud quid refertur. Hartungius denique, qui rem hanc in libro saepius laudato omnium exposuit doctissime, veram eamque per omnia Graecorum exempla pertinentem statuere voluit utriusque particulae definitionem, non longe tamen a Thierschio discessit. Appellat itaque οὐ Copulae Negationem; μή vero ei quae extra sunt, quasi digito commonstrat (auswärtsdeutende Negation). In qua definitione II. p. 105. pergit ita: „Also μή involvtr, indem es verneint, zugleich die Beziehung auf eine von aussen hineingetragene Vorstellung. Von aussen muss die Vorstellung hineingetragen sein, in der Partikel selbst kann sie ursprünglich nicht liegen, weil Verneinung und anderweitige Vorstellungen, welcher Art sie auch immer sein mögen, durch kein natürliches und nothwendiges Band im Geiste verbunden sind, noch auch zur Einheit verschmolzen sein können.“ Et paulo infra: „Es ist die im Satze liegende und der Partikel mitgetheilte Beziehung nach aussen, oder die Hindeutung auf einen in Wechselbezug tretenden Gedanken, deren Organ die Partikel geworden ist.“ Omnes has definitiones comparanti id fere de iis dicendum videtur, quod de variis philosophorum doctrinis: quarum nulla, pro ratione et modulo, quo metiaris, omnino a veritate abhorret. Nam quidquid de particulis illis est dictum, tantum abest ut falsum sit, ut unaquaeque definitio multum contineat veritatis, non omnem. Haerent autem, si quidem ego aliquid hac in re video, viri docti in eo maxime, quod natura particularum οὐ et μή non plane perspecta, non sunt certa quadam via ac ratione

que tollitur dictio et cum Negatione in unam coalescit notionem; ita tamen, ut quidquid determinationi illi in-

gressi. Differt autem hoc magnopere, definitionem aliquam exemplis posse comprobare, atque rem definire ita, ut et ipsa videatur ratione niti et exemplorum materiem comprehendat omnem. Id quod ego Hartungii definitioni contigisse non dixerim. Hoc enim evincit, notionem illam, ad quam $\mu\eta$ referatur, particula ipsa non posse contineri: quod ne sit falsum vereor magnopere. Statuimus nos autem discrimen $\omicron\upsilon$ et $\mu\eta$ particularum ita, ut $\omicron\upsilon$ Negationem esse dicamus hominis rei contrariae repugnantis, quae fiunt dicunturve, ea non approbantis, $\omicron\upsilon$ voce abnuentis quodammodo; $\mu\eta$ autem ea gaudere significatione, qua aliud, atque res aliqua posita, denotetur sitque rerum ipsarum Negatio. Quarum altera quum Subjecti enuntiat repugnantiam, Subjectiva non video cur non sit appellanda; altera rerum Objectarum contraria et Negationes designans, vere Objectiva esse videtur. Quod etsi utraque ad res extra nos positas aut cogitatas refertur, $\omicron\upsilon$ tamen quum vox sit repugnantis, negat, propterea quod is qui loquitur, rem censet esse negandam, $\mu\eta$ vero ita, ut Negationem in rebus ipsis positam denotet. Nihil igitur differt, si $\omicron\upsilon$ ad rem positam, dictam cogitatamve, quasi accedere, junctamque negare, $\mu\eta$ vero cum re sibi contraria copulatum, unam paene efficere notionem vel dictionem negativam: sive etiam $\omicron\upsilon$ negare dicas, $\mu\eta$ autem esse negativum. At qui pro sensu suo negat suaeque voluntate, errori et libidini suae parcat; qui negationem rerum affert et recitat tantummodo, is res ipsas loqui facit. Quin igitur putamus $\omicron\upsilon$ negare insolentius, ad loquentis arbitrium, $\mu\eta$ autem Negationem esse in re positam, rerum probatam ratione. Quae causa atque probatio aut in re ipsa hac nisa ibique inclusa potest cogitari, aut in aliarum rerum ratione conditioneque, ad quas refertur. Nihil itaque obstat, quominus Negationem hanc $\mu\eta$, in gratiam Buttmanni, pendere censeas ex rebus aliis, aut in Thierschii et Hartungii sententiam vim ei impertias reciprocam. De usu $\omicron\upsilon$ particulae in responsis jam supra est dictum; hic addere oportet, $\omicron\upsilon$ illud maxime obtinere, ubi in rei locum fortius negatae aliud quid substituitur contrarium, quod quam spectet ad vim et voluntatem hominis loquentis, nemo non videt. $M\eta$ vero semper simplicem, in rerum ratione positam invenies Negationem. Sed credas exemplis potius, quam mihi. $\omicron\upsilon\lambda\alpha\gamma\alpha\delta\acute{o}\varsigma$ dico, quando positivam definitionem $\alpha\gamma\alpha\delta\acute{o}\varsigma$ a veritate abhorrere video, tollendamque censeo $\omicron\upsilon$ addito.

serviat, de jure suo non recedat. Etenim plena cuiusvis verbi significatio et forma integra obtinet, Negationi juncta. Quid quod indivia illa, ut ita dicam, Negationis longius manus suas porrigit! Nam saepe

Ἡ οὐ διάλυσις τῶν γεφυρῶν dixit Thucyd. I. 137. quod, quam quisque tunc temporis expectasset, διάλυσις a scriptore gravius negatur. Ὁ οὐ φιλόσοφος qui dicit, certum quemdam negat esse philosophum, etiamsi aut ipse sibi, aut aliis philosophus videatur. Magnopere differunt haec: ἡ μὴ διάλυσις, ὁ μὴ φιλόσοφος, τὸ μὴ ὄν, quorum primum illud negativam non rescindendi notionem in universum, non ad certum relatum pontem, significat (das Nichtabbrechen an und für sich, ohne Rücksicht auf die Wahrnehmung des Sprechenden); ὁ μὴ φιλόσοφος ad hominem attinet quemque natura non philosophum; τὸ μὴ ὄν denique pariter atque τὸ μηδέν, Platoni et philosophis semper id valet, quod revera non est (das objective Nichtsein, das Nichts.) In quo quid est, obsecro, Subjectivi? Ita etiam ὁ μὴ πιστεύων discernas atque ὁ οὐ πιστεύων, ut illud hominem omnino non credentem, hoc vero certum quemdam, quem credere ne ges. Qui exempla desiderat, in consulat grammaticos: nonnulla tantum affero, quorum prae ceteris illustre est Xenoph. Anab. IV. 4. 15. Οὗτος γὰρ ἐδόκει καὶ πρότερον πολλὰ ἤδη ἀληθεῦσαι τοιαῦτα, τὰ ὄντα τε ὡς ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα ὡς οὐκ ὄντα. Sunt procul dubia τὰ μὴ ὄντα ea quae non sunt (objectiv), contra τὰ οὐκ ὄντα ex opinione et narratione ejus, qui οὐσίαν eorum negabat. Confer etiam Plat. Repub. VI. p. 486. A. καὶ τόδε δεῖ σκοπεῖν, ὅταν κρίνειν μέλλῃς φύσιν φιλόσοφόν τε καὶ μὴ (sc. φιλόσοφον). Rep. VI. 2. Ψυχὴν σκοπῶν φιλόσοφον καὶ μὴ (die an sich nichtphilosophische.) — Eadem est ratio μὴ particulae cum infinitivo junctae, qui Substantivi vice fungens, cum Negatione unam praebet notionem negativam, ut τὸ μὴ εἶναι (das Nichtsein), τὸ μὴ ποιεῖν cet. Sive Infinitivus hic Nominativi, sive Accusativi locum explet, sive denique, quod fit saepissime cum addito nominis Accusativo, constructionem efficit illam notam Accusativi cum Infinit. id rei naturam nihil tangit. Claudat rem denique justa illa Buttmani et Mathiaci animadversio (Buttm. Gramm. major p. 427. Mathiae II. p. 1444), plenum inter οὐ et μὴ discrimen multo usu evanuisse, ut in dumeta correpere videatur, qui omnem differentiae persequi velit subtilitatem.

adeo rem qua impletur, consumit, ut ventris instar cibum suum omnino absorbeat, atque in succum et sanguinem convertat. Quo facto, quum denuo inanitate et quasi fame laborare videtur, prae se fert novi nutrimenti appetitum. Nec semel, sed bis terve fraudem hanc facit. Illustre est ejusmodi exemplum negationis nicht apud Germanos. Simplex enim illa Gothorum ni particula, infirmitatis suae causa, societatem inierat Substantivi vaihts, vet. Germ. viht, (quod rem significat), unde nata nivihht forma, med. aevi enviht, tum nicht fortius quam ni negabat (8). Multum tamen abfuit, ut Negatio plenitudine hac acquiesceret. Nempe usu evenerat, ut nomini wiht particula eo, io praemissa, quum incerti aliquid adjiceret, tum augeret Negationis materiem: unde ortum vet. Germ. niowiht primum nihil, nihil unquam significabat, deinde in nicht simplex hoc abiit (9). Vix igitur tria vocabula Negationi determinandae suffecerunt, quorum ne ullum quidem integram obtinuit neque significationem neque formam: cunctae in unum copulae, ad simplicitatem ne particulae redierunt. Quocirca simul atque notione et vocabulo opus fuit, quod nihilo responderet. novum sibi socium nicht illud quaesivit, foedusque icit, ut verisimile videtur, cum es pronomine, qua forma nichts agnoscas, quod hodie in usu est (10). Neque vero hoc ipsum plenam salvamque servavit significationem, quae composito nicht-es (nichts) videtur contineri: imo philosophorum argutiis, mentisque quasi pennis suspensum, usque ad coelum evolat, intelligentiae subtilitate

(8) Grimm III. p. 721. 735. Bopp p. 578. Heyse I. 824.

(9) Grimm I. l.

(10) Heyse, nescio an duce Bekkero, in nichts hoc Genitivum nichts agnoscit; utrum verum sit, in incertis relinquo.

quemadmodum aethere sensibus nostris subductum. Est hoc nichts illud simplex, ex quo philosophi, ut ex rerum principio, profecti, ad veritatem incedunt (11). In quo jam mentis potestatem quis non videt, quae rerum etiam sensilium nomina sancit, eaque ad rerum subtilissime cogitatarum dignitatem evehit.

Huc etiam referenda sunt vocabula multa, quae illam ipsam ob causam determinandae Negationis, simplicibus particulis, quas novimus, adjiciuntur lingua vulgi potissimum, qui cum sensibus facere potius solet, quam cum mente. Etenim hominis est, qui naturam sequitur ducem, etiam cogitata reddere nominibus desumtis e consuetudine et usu rerum, quae unicuique in oculis et animo versantur. Quo proverbia maxime oportet revocare. Negationi quae adduntur, ex Grimmii jam opinione cognata sunt quodammodo cum Negationis significato (12). Sunt enim vocabula res parvi aut nullius pretii designantia: quorum multa attulit Grimmus l. I. ex poëtis aevi decimi tertii. Factum est igitur, ut nicht illi, usu jam trito, quum nemo substantivi vihi sentiret potestatem, adjicerentur alia fortius determinandi studio; unde sunt ortae dictiones: niht ein blat; niht ein bast; n. e. beer (Beere); n. e. stro, spriu (Spreu); niht ein ei et multa alia. Conferre licet Graeca nonnulla: οὐδὲ γού (grunnitus), ἀρχὴν οὐ omnino non, οὐδὲ τυχόν ne tantillum quidem. Notissima

(11) Qui contra simplicitatem illius Nichts in philosophia tantopere nituntur et restitant, maxime haerent, ut supra jam dictum, in vocis etymologia: ad quem scopulum vel Branissius doctissimus in libro suo de Metaphysicis, ubi Hegelium impugnat, videtur allisus esse. Qui talia proferunt, quin nicht ipsum profligant et a simplicitate Negationis depellunt, quod non ne solum, sed ni — wiht significat!

(12) Grimm II. 728.

sunt haec latina: non flocci (pendere), nauci (habere), pili (facere), ne assis facere: quo nihilum etiam et nihil mutilatum referre possis, nisi magis placeat cum Boppio nihil pro nihid habere, nota litterae l immutatione (13). Slavi permulta ejusmodi habent, quorum satis erit affere Polonorum nonnulla: ni ż d ż bla (nicht ein Keimchen), ni odrobiny (frustum), ni kaska (pars minuta) et alia. Propria quaedam est ratio ejusmodi verborum in linguis Romanicis quae dicuntur, quorum multa Negationi determinandae addita, non solum id sunt passa, quod wiht Germanorum, ut quidquid valeant, valeant Negationi, sed ipsa etiam, quamvis plena definitaque, in adverbia negativa abierunt. Exempla habes Gallorum pas a Latino passus oriundum, point quod punctum significat, rien res; Italorum mica quod est Latinum etiam, punto, multa alia (14). Gallica illa pas, point, rien, simili modo atque wiht Gothicum, juncta cum ne particula, ne hac quidem simplici, sed ex non Latino mutilata (15), ita vim negativam sunt mutuata, ut sola etiam possint negare. Dicit igitur Gallus: pas du tout, point d'argent; ad interrogationem respondet rien. Idem accidit nomini personne, quod primum Negationi additum, deinde omnino in negativum abiit pronomen, quod nemo significat. Hoc ipsum nemo, a simplici ne et mutilato nomine homo derivandum esse constat; pariter atque Germanorum Niemand, quod ex vet. Germ. neoman, nioman in formam nieman abierat, deinde addita d littera, euphoniae gratia, Niemand est fa-

(13) Bopp 576.

(14) Fr. Diez, Grammatik der Romanischen Sprachen, II. p. 399 sequ.

(15) Grimm III. 743. Diez II. 398.

etum (16). In tribus his Negationibus *personne*, *nemo*, *niemand*, hominis quae latet notio, omnino est extincta, et in simplicem versa Negationem, dictioni homo aut aliquis contrariam. Verus hic Negationis est triumphus, quoniam victo et subacto, quod ei erat contrarium, sola dominari videtur.

Non opus est igitur nominibus certis plenisque, qualia sunt *personne*, *homo*, *Mann*, ad significandam Negationem, quae pronomine *nemo* continetur. Et sunt quidem linguae, quae nescio an subtiliore quodam populi sensu ad negativam hanc neminis notionem vocabulis sunt usae vix signum quoddam hominis praebentibus. In quo intellectus vim majorem agnoscere possis, quod ad rem designandam non nomen ipsum adhibet, sed pro nomine signo quolibet utitur, quod hoc loco merito appellatur pronomen. Graeci enim particulas *οὐ* et *μή* cum pronomine indefinito *τις* conjunxerunt, unde utraque parte integra *οὐτις* et *μήτις* sunt orta. Slavis etiam *ne* sive *nī* cum *kto* pronomine copulatum, formam *nikto* praebuit, abjecto *o* extremo *nikt*, cui adde *nikyi* vet. Slav. et *nikakyi* (17). Sanscr. *mâkis* et *nakis* simili gaudent origine, aequae ac Zend. *maëcis* et *naëcis* (18).

In hunc locum etiam, certae rationis gratia, reservavimus Graeca *οὐτι* et *μήτι*, quae Germanico *nichts*, Latino nihil respondent, et ex eodem fluxisse viden-

(16) De addito *d* euphoniae gratia confer Heyse I. p. 357.

(17) Etiam *nikt* duplicem iniit compositionem: constat enim ex *ni* et *kto*, quod ipsum ex interrogativo *ko* seu *ka*, Sanscr. *kas*, et demonstrativo *to* est ortum. Lenius pronunciatum est Illyriis *gdo*, mutatum *tko*. Conf. Dobrowsky Inst. Slav. p. 344 et 436. Etymologicon der Slav. Sprachen p. 35 et 36. Vekoslav Babukie Grundzüge der Ilirischen Gramm. p. 54 et 74.

(18) Bopp p. 566 et 577.

tur fonte, quo Slavicum *niezto* (non quid), quod Bohemis et Polonis *nie* sonat. Neque omnino fortasse a veritate abhorret, particulas *ov̋z*, *ov̋xl*, aequae ac Latinum haud jam non simplices esse Negationes, sed natas junctione cum voce pronominali *ni*, cujus analogiam in Sanscr. *ci* (conf. *mâkis* et *nakis*) Latino *que* (neque) agnoscas. Nihil vero obstat, quominus ex *ov̋xl*, multiplicatione *ov̋z* ortum cogites, utrumque ad Negationis simplicitatem, Germanici *nicht* instar, reversum. Quae ratione haud ex *haut* mutatum, utrumque in particulam *hau* = *ov̋*, et *t* seu *d* pronominale dissolvendum esse, difficile est infitias ire. Etiam neque compositum, simplicis Negationis vice functum fuisse videtur (19). Cum Graeco *ov̋xl*, quod Boppii opinione, tenui mutata, idem est atque *ov̋xl*, habet analogiam quandam Gothicum *nih*, ex *ni* et *h* aut *jah* constans, unde *noh* et *noch* venit (20). Ad quod quoniam est perventum, promere licet hoc demum loco *noch* illi respondens *weder*. Est autem fons ejus in vet. Germ. *huedar* et *wedar* (uter), quod cum *ni* junctum vi ejus negativa ita fuit affectum, ut misso *ni*, solum partes susciperet Negationis ad *noch* referendae.

Proximum est, ut in Negationem cum nomine numerali copulatam inquiramus. Contingit vero ejusmodi Negationi hic prae ceteris locus, quod rei ratio id sibi videtur poscere. Nam ut Pronomen propterea maxime visum est antecellere nomen, quod jam non rem ipsam appellet, sed intellectu duce, signum quasi commonstrans

(19) Conf. Hartung II. 90. qui affert exempla: Cic. Leg. II. 9, Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto. Ibid. III. 4. Senatori qui nec aderit. — Weissenborn Latein. Gramm. p. 216. Anm. 1.

(20) Grimm III. p. 719. Bopp 572.

ponat, quae est vis Pronominis propria; ita Numerales nomen fortasse superat Pronomen eam ob causam, quod ne demonstratione quidem indiget rei, sed quidquid cernitur aut cogitatur, id nominat unum (das Eins). Unum vero non oculis cernitur, sed animo. Quare aptum mihi est visum honorem hunc vel in Negationem transferre, quae numeralis hujus nominis ineat societatem. Fit hoc autem ita, ut quod nomini et pronomini contigerit, eveniat etiam uni illi; habeo in mente vim illam Negationis et necessitatem, qua vocabulum determinationi inserviens non modo sibi accommodat, sed tollit omnino atque absorbet. Illustre est exemplum non Latini, quod ex ne et oenum sive unum, abjecta terminatione generis neutrius, natum esse constat (1). Cum quo facit nein Germanorum, habetque cum non illo hoc commune, quod utrumque simplicis ne munere fungitur, differt autem ab eo, quod nonnisi in linguis vet. septent. et Germaniae inferioris (niederdeutsch) plenam nullius (nicht ein) habebat significationem, nunc vero in responsis solum vulgaris nicht locum explet (2).

Alia est Negationis cum numerali unus, *εἷς*, ein, jeden conjunctio, eaque per omnes fere linguas pertinens, qua nomina haec veram vim suam, sin minus, formam retinent, itaque negativa vi sua quasi e regione stant rei, quae una aut nominatur aut cogitatur: licet vera unius significatio in his etiam plane evanuisse videatur. Etenim qui nullum hominem (keinen Menschen) se vidisse dicit, is tantum abest, ut unius notionem exhibeat, ut quoties unum ipsum velit negare, partes copulatas separare cogatur, atque

(1) Grimm III. 743.

(2) Heyse I. 826.

ne unum quidem, οὐδὲ ἓνα dicere (3). Sunt vero ejusmodi Negationes Lithuanorum *niékas* ex *ni* atque *ékas* (unus) compositum (4); Graecorum *οὐδέις* et *μηδέις*, quae vix ab illis *οὐτίς* et *μήτις* significatu differunt. Nullus Latinum a *ne* et deminutivo *unulus* derivandum, pariter atque *οὐδέις* et *μηδέις* tum Adjectivorum, tum Substantivorum adhibentur loco. Non liquet mihi adhuc Polonici *żaden* derivatio, etsi non dubium esse videtur, quin numerale *jeden* habeat inclusum, quum praesertim vet. Slav. *nijedin* eandem prae se ferat originem.

Mentio jam est facta Germanici *kein*, quod et ipsum ex Negatione et numerali *ein* est compositum, quamquam membris captum adeo claudicat, ut facie vix originem agnoscas. Magnas enim perpersum est vicissitudines, ut omnia fere Germanorum ejusmodi vocabula. Natum est igitur mutilatumque tum ex *nih-ein*, *neh-ein*, *nechein*, tum etiam ex *dih-ein*, *dehein*, *dechein*: in quorum altero quum notum illud *nih* facile potest perspicui, alterum *dih* difficile est ad enucleandum. Quoniam autem in vet. Germ. *nihein* negativum est semper, *dihein* contra positivum; videtur *dihein* huic jam apud Germanos med. aevi accidisse idem, quod nunc obtinenti, ex *dehein* et *nich-ein* mutilato *kein* (pro *chein*) contigit, scilicet ut vera Negatione privatum, negandi provinciam susceperet (5). Cujus sortis particeps est Gallorum *aucun*, ex *alc-un* (aliquis) natum, quod locum obtinuit usitati

(3) Exemplum do ex Plat. Phaed. XVII. 72. οὐδὲ μία μοι δοκεῖ (μηχανή), ἀλλὰ μοι δοκεῖς παντάπασιν ἀληθῆ λέγειν.

(4) Bopp 535.

(5) Conf. Heyse I. p. 640, Becker's ausführliche deutsche Gramm. I. p. 309 sequ.

olim nun ex ne-un oriundi, nuncque sola Negationis vice fungitur (6). Omnibus his pulchre vides comprobatum, Negationem determinatione indigentem quodlibet vocabulum ita bono suo accommodare et consumere cum succo et sanguine, ut quidquid vocabulum tale valeat, id Negationi valere videatur.

Reliquum est, ut de Negatione cum Adverbiis et Conjunctionibus copulata videamus: quibus Negationum agmen claudere instituimus, partim quod partes hae orationis naturali quodam ordine pleniora illa nomina, pronomina, numeralia excipere videntur, partim quod Negationis natura et potestas vocum illarum accessione et perspicui potuit clarius, et hoc loco rerum jam notarum repetitione minus est opus. Cogita itaque omnia fere, quae antea sunt dicta, huc etiam referenda esse: quare etymologia variarum ejusmodi Negationum et enumeratio faciet satis. Neque opus est dicere quidquam de Negatione cum Adverbiis juncta, qualia sunt οὐ καλῶς, οὐ πάν, οὐχ ἤκιστα, improbe, indigne; untreu, unrichtig, niedobrze, alia, quoniam sunt aut enumerata, aut propter antecedentia satis plana. Jam loci, temporis, modi Adverbia Negationi adjecta, faciem suam ac potestatem satis conservarunt. Quare compositionum, ut οὐπω, οὐδαμοῦ, οὐδαμῇ, οὐδαμῶδι, οὐδαμῶς (ἀμός, ἄμός = τίς) nemo non est sibi conscius, pariter ac Latini nusquam, Gallici nulpart, Slavici nigdie, nigdzie, nigdzie. Nirgends vero Germanorum oriundum est a nie et wergin (usquam), unde niergin, niergen est factum, in quorum parte stant vet. Germanica nêoner, nioner, niener, et med. aevi niender, ninder, niendert, in nonnullis

dialectis Germaniae super. adhuc usitata (7). Eodem fiunt modo negativae temporis definitiones, quales sunt *οὐποτε, οὐδέποτε, οὐπόποτε*, et haec ipsa cum *μή* conjuncta; nunquam, vet. Slav. *nikogda, nikoli* (8), Illyr. *nigda, nikad*, Polon. *nigdy*; quae omnes fere integras exhibent formas. Aliter fortuna statuit de Germanorum hujus modi vocabulis, quibus abundant. Nie natum est ex *ni* et *aiv*, quod olim Substantivum aevum significans, in Adverbium abiit, et saepe vestem mutabat, donec ex eo, *io* factum est *ie* sive *je*, quod nunc etiam obtinet. Ita evenit, ut *ni-aiv* etiam mutationem illam sequeretur, unde *nio* et *nie* formulae exstiterunt. *Nimmer*, vet. Germ. *niomêr, niemer*, originem suam coitioni *nie* illius, quod usu tritum parum definitum esse videbatur, cum Adverbio *mer* seu *mehr* acceptam refert. Quid quod natum inde *nimmer* ne ipsum quidem plenitudine sua contentum, *mehr* illud repetiit, ita ut jam Germani aevi medii *niemer mêre* et *nimerme* dicerent; hodie etiam *nimmer mehr*. Est haec insatiabilis quaedam Negationis cupiditas. *Niemals* denique vocis compositio patet, pro cuius altera forma *niemalen* apud vet. Germ. *nio wanne* in usu fuerat. Galli noto more illo, forma vetere nonques neglecta, positivo *jamais* (jam magis) negativam vim tribuerunt. Reliqua modi adverbia, *οὐδαμῶς, μηδαμῶς, οὐδετέως*, neutiquam, nequaquam, *keinesweges*, vix opus est enumerare. Quod ad conjunctiones attinet, tanta est earum multitudo, ut cum Negatione conjunctas ne commemorare quidem liceat omnes. Neque id opus esse videtur, quum enumeratione tali nihil rei consulere possis.

(7) Heyse I. 823.

(8) Dobrowsky p. 431 et 432.

Significatio enim vocabulorum οὐδὲ, μηδὲ, οὔτε, μήτε, οὐμὴν, οὐκονν, οὐκ ἄρα, ἵνα μὴ, nisi, ni, aliorum, quum ex positivis contrariis liquet, tum nonnisi in oratione continua potest clare perspicui. Hoc animadverti oportet, Negationem semper fere ad Conjunctiones illas accedere; cujus rei causa et comprobatio ab hoc loco aliena est.

Ad hoc fortasse non omnino a rei ratione abhorret, quoniam stadii spatium percurrimus, cursum gradu citato repetere, et denuo quasi impetum sumere. Jam primum omnium Negationem per se determinationem esse cognovimus, vagam tamen illam, nec satis certis finibus circumscriptam; ita ut ipsa potius determinatione indigeret. Quod primum Negationis stadium appellavimus. Nec vero potestas illa determinandi, quum in natura Negationis esset insita, extrinsecus, quasi a gratia alicujus erat petenda. Imo nulla erat Negatio, nisi ad aliquid oppositum relata, cujus esset Negatio. Et ab hujus quidem rei oppositae materia Negatio vi sua propria et necessitate plenitudinem determinationemque veram traxit. Unde copulatio orta Negationis et rei oppositae veram exhibuit Negationis notionem, eam qua Negatio rem oppositam tollat, sublata determinetur ipsa. Eam negativam determinationem non male appellabis. Jam vero hac forma et significatione par est Negatio plenae enuntiationi, estque in eo, ut missa hac solitudine transeat in plurium verborum societatem et continuationem, aptum significationi suae locum nactura.

III.

De Negatione in Oratione continua.

Est igitur Negatio vera plenaque determinatio. Hic vero honos quis non videt, quantum absit a definitione illa, qua tollendi spoliandique suscipiat non honorem sed culpam. Verum enimvero Negationis potestas haec determinans vi sua propria quodammodo consumatur necesse est, nisi significationi suae aptum nanciscatur locum. Quem enim nunc obtinet, is ei vix praebet potestatem singulae rei notionisve appellandae; multumque Negatio abest, ut mentis sit imago et enunciatio, qui verus solusque Orationis est finis. Nec verendum est, ne Negatio in hac solitudine ingratiis derelinquatur; quum in vi illa determinante et appellante insitam esse oporteat necessitatem pariter atque potestatem non appellandi solum, sed etiam appellando enunciandi. Sive, id quod idem est, Negatio, ut quae determinatio sit, et potest et debet in justam transire orationem, ibique munere fungi, quod ad mentis quasi rempublicam bene administrandam pertineat. Nulla enim est, nec oratio nec pars orationis, quae rationi circumscribendae non iuserviat. Imo ex ratione itemque plena oratione, desumta et quasi advocata est Negatio: migrando vero locupletata determinataque in orationem est revocanda. Quae ratio verae cujusque videtur esse doctrinae, quae certa via, et vi sua propria vitali, a principio usque ad rei metam progredia-
tur. Jam hoc itaque est statuendum, Negationem, quidquid valeat, valere id Orationi.

Verae autem orationis pars omnium minima est quaevis enunciatio; quae etiamsi in uno saepe verbo, ut in involucro sit inclusa, proptereaque simplicitatis speciem prae se ferat, continere tamen debet, ut cogi-

tatio cujus est imago, vim et necessitatem latius sese determinandi, evolvendique quidquid inclusum est. Scilicet vim hanc enunciatio trahit a cogitatione, quae quum necessario in partes sese scindat (das Urtheil) evolvatque quae ipsi inhaereant determinationes, partium earum origo est simul et omnium comprehensio (Begriff *κατάληψις*). Cujus instar ex dictione vel simplicissima omnes orationis partes, ut ex fonte, fluere debent: sive, quod idem est, simplex quaevis notio ejusque nomen, quum sit plena natura sua latioris enunciationis quasi subjectum fundamentum — unde Subjectum appellatum —, determinationes omnes contineat easque in lucem proferat necesse est. Praedicat vero quodammodo, quod evolvitur, naturam Subjecti ejusque determinationem latentem: unde ei Praedicati nomen evenit. Sed haec omnia quid sibi velint ut pateat, jam ad rem accedamus.

Primum igitur videamus, quae sint illae Subjecti determinationes. Nec dubium est, quin prima omnium rebusque omnibus communis sit ea, quae Subjectum esse praedicet. Licet enim res quaevis omnibus privetur determinationibus praedicandis, est tamen. Quocirca vel in logica ratione categoria, quae hoc Esse definit, omnium est prima. De Deo igitur si quid velis praedicare, hoc primum dicas: Deus est, *θεός ἐστι* (9). At determinatio haec, quae esse aliquid

(9) Monere liceat, est atque *ἐστὶ* illud non eo sensu dictum hic esse, quo rem aliquam tibi esse seu existere credas, sed eo potius, quo Graeci accentum verbi *ἐστὶ* merito inclinabant, et quo nunc etiam copulandi vim habet. Differt autem omnino ab indefinito et quasi *ἀτόνως ἐστὶ*, illud quod accentum retinet, et plenissimo cuique Praedicato par est remque existere significat. In quo valde hoc mirum animadvertas atque utile ad linguarum comparationem, quod omnes fere pro duplici illa significatione duplicem verbi

praedicat, propterea quod omnium est prima et simplicissima, tam parum est certa ac definita, ut nullum Subjecto afferas detrimentum, etiamsi id esse non dicas, solumque rei nomen appelles: Deus, θεός, Cajus, alia. Fac itaque determinationem hanc in contrariam abire, sive Deum aut Cajum non esse praedica: negas quidem determinationem primam illam, sed propter inanitatem notionis, quae verbo esse continetur tantum abest, ut Deo aut Cajo de dignitate aliquid detrahas, ut esse eos et non esse idem sit fere (10). Utrumque enim nihil praedicat, et vix possis dicere,

esse radicem ac formam habent: quarum altera Sanscr. asti, Graec. ἐστί, Lat. est, Germ. ist, Slav. jest omnibus linguis integra paene est communis, alteram vero Sanscr. bhu, ex Latino fu, Germ. bi et wa, Slav. bu et by facile agnoscas. Nec audeo dicere, meliusque in incertis relinquo, quo sensu quave vocis imitatione primum illud asti aut est fuerit appellatum, bhu vero alterum, nisi cui placeat litterae et voci s vim quandam demonstrativam tribuere, bhu autem ad eam significationem revocare, qua terram etiam appellat: cum terrae enim notione id quod existit cognationem quandam habere videtur. At non dubium est, quin formae illae asti et bhu primum significatione, qua diximis, differrent, donec in promiscuum abirent usum. Notatu denique est dignum, discrimen hoc in sermone Slavorum, Polonorum maxime, vel in Negatione conspicuum esse. Nie jest dicunt Poloni, si jest hoc Copulae fungitur munere: contra si non existere aut tibi non esse aliquid significant, niemasz aut niema necesse est dicant, quod idem est atque: du hast nicht, es hat nicht. Itaque interroganti: Jest matka w domu? responde Niemasz matki w domu (de Genitivo matki post Negationem confer infra). Quam dicendi rationem si cum Latina non est tibi comparas, quod idem est atque non habes, mirari debes, quam variae linguae, ubi maxime videntur differre, consentiant pulcherrime.

(10) Refer huc, quod Hegelius (Logik I. p. 27, Encyclop. p. 104.) optimo jure contra Kantium contendit, nihil omnino differre, utrum centum nummi sint an non sint: verum discrimen aliunde esse petendum.

id quod est oppositum esse et contrarium ei quod non est: praedicata haec nondum satis certa sunt nec definita. Unde venit, ut nisi in philosophorum subtili disquisitione nemo unquam in vulgari sermone esse aliquid praedicet (*ἐστὶ* enclitic.), aut negans, non esse: nihil enim continetur dictione illa positiva, quod negare operae sit pretium. Sive hoc dicere volui: Negatio nihil afficit determinationem, quae verbo esse continetur.

Itaque Praedicatum, quod verbo esse continetur, non est verum Subjecti Praedicatum, sin minus, non satis certum ac definitum, nec Subjecti vim et significationem totam evolvit. Etenim gaudet quodvis Subjectum multis aliis determinationibus, qualitatibus, aut sibi propriis et quasi innatis, aut cogitatione voluntateque nostra adjectis et attributis (Adjectivis et Attributivis): quibus additis Subjectum vere certeque determinatur atque praedicatur. Nec tamen sequitur, determinatione certa quadam adjecta, illam quae verbo esse contineatur, quod minus sit definita, propterea omnino esse rejiciendam: imo, ut unicuique Subjecto inhaeret, ita etiam est praedicanda. Sed quoniam omnibus Subjectis communis est ideoque minus certa, inest necesse est societatem cum quovis certiore Praedicato, ipsoque sese quasi impleat. Quo facto, est additum Subjecto rem esse significat, aliud quidvis attributum quid sit definit. Verbum est igitur, ut in Subjecto haeret, ita etiam in oratione conspicuum fieri oportet: inde Copulae fungitur munere. Supervacaneum quidem esse videtur, et sunt linguae, quae Copula hac carent, aliae etiam, quae ea facile possunt carere, nullo Subjecti aut Praedicati detrimento, ut in Graeco: *ὄν ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*, aut Polonico: *To syn dobry* sc. jest. Habet tamen hoc est propriam ve-

ramque significationem eam, quae in universum rem esse determinat, cum aliis vero Praedicatis et Attributis conjunctum, Praedicata haec rei vere inesse indicat (11). Quamobrem Copula est, quae vix aliquem in enunciatione locum explere videtur, est enunciationis quasi columnen, praebetque ei formam perfectam atque cogitationi similem: *θεός ἐστι παντοκράτορς*, Cajus est Romanus, die Rose ist roth.

Jam vero Praedicatum ipsum, quod ex Subjecto evolvitur, aut ei intelligentia voluntateque tribuitur hominis loquentis, natura sua negativum esse potest, id est, ejusmodi Praedicatum sive Substantivum sive Adjectivum, quod cum Negatione copulatum, modo quo in parte secunda dissertationis descripsimus, in unam eamque negativam abierit notionem. Quae Praedicati vis negativa, neque naturam neque formam enunciati afficit. Etenim enunciationis est, quod haereat in Subjecto aut ei possit tribui, edicere Praedicati forma pariter positivi ac negativi. Unde existunt enuntiata, in speciem negativa, quae tamen reapse nihilo minus determinant Subjectum, atque interposita Copula est indicant, negativum illud Praedicatum Subjecto inesse eique convenire. Liquet res ex exemplis, qualia sunt: *θεός ἐστι ἀθάνατος*, mors est insperata, Cajus ist Nicht-Christ, aut Cajus ist kein Christ (12), Adam jest niekatolik. Talia etiam Praedicata sae-

(11) Natura haec atque vis Praedicati, quod quidquid valet, valet Subjecto suo, efficit, ut in Slavicis linguis instrumenti habeatur loco ad Subjectum definiendum, et vulgo Ablativo casu reddatur. Christus ist Gott, veritas Polonice: Chrystus jest Bogiem (Abl.).

(12) Miratus sum magnopere, quod Hartungius II. 72. in enunciato hoc: Cajus ist kein Christ, Cajus der Nicht-Christ, Copulam negari docuit.

pissime cum negatione efficiunt et notionem unam, et unum vocabulum.

At Est illud, simplex Subjecti Praedicatum, negatum etiam novimus, saltem cum Negatione conjunctum, ita vero, ut negari quidem possit, Negatione tamen non afficiatur, eamque quasi alienam a se putet. Quid, si sententia plena est, certo Praedicato determinata, est illud anne pariter a Negatione est securum? Minime Grammaticorum opinione, qui multum de Copula negata loquuntur, idque pro certo habent (13). Qua de re videamus. *Ἄνθρωπός ἐστι* et *ἄνθρωπος οὐκ ἐστι* enuntiationes sunt, quarum Praedicata *ἐστὶ* et *οὐκ ἐστι* opposita sunt quidem, sed ut nondum certe definita, minime differunt. Jam quemadmodum *ἐστὶ* illud addito certo quodam Praedicato impletur, itaque Subjectum suum vere definit; ita *οὐκ ἐστι* et ipsum impletur quovis attributo, et vere determinat Subjectum suum. Enimvero negativa est haec definitio *ἄνθρωπος οὐκ ἐστι θνητός*, atque opposita dictioni *ἄνθρωπός ἐστι θνητός*; nec opposita ita, ut Praedicata utriusque enuntiationis, quemadmodum *ἐστὶ* et *οὐκ ἐστι*, non differant inter se, sed ita potius, ut quum certa sint Praedicata atque omnino definita, toto coelo differre videantur. Quodsi non differunt *ἐστὶ* et *οὐκ ἐστι*, differunt vero maxime *ἐστὶ θνητός* atque *οὐκ ἐστι θνητός*, quis non videt non Copulam *ἐστὶ* negari, sed verum potius Praedicatum? Scilicet verum est Praedicatum *ἐστὶ θνητός*, totumque negatur; cujus *ἐστὶ* tamen quoniam negari nequit, saltem non afficitur Negatione, Negatio vim suam adeo non Copulae *ἐστὶ* adhibet, ut maxime ad veram definitionem (*θνητός*) pertinere videatur. Conferre licet Latinum illud: *Cajus non est Romanus*, cujus Praedicatum: *non est Ro-*

manus oppositum est positivo est Romanus, itaque negativum est. Negationis vero est determinationem tollere, sublatamque continere: quae determinatio quum in verbis est Romanus lateat, Romani definitio tollatur necesse est. In quo ad omnium conscientiam provoco. Nec audio Hartungium, qui relationem junctionemque Subjecti atque Praedicati tolli dicit Negatione (14), quum in eo tota sit enunciati natura atque vis posita, ut Praedicatum ad Subjectum referatur (15). Facile etiam in sententiis negativis Copula abesse potest, ut in Graeco: οὐκ ἀγαθὸν πολυχοιρανίη, aut Polonico Wielowładztwo nie dobre, qua Copula, si negari deberet, nullo pacto posses carere.

Hoc si cui forte minus liquet, enunciata sunt ad calculos vocanda, ubi Copula cum Praedicato, ut re sunt juncta, ita forma etiam ac veste una eademque utuntur. Etenim Praedicatum, ut Subjecto inesse appareat, Copula est quasi adminiculo utitur: complectantur tamen inter se necesse est, ut junctis quasi manibus determinationem ex Subjecto evolvant. Nascitur ex hoc amore verum Praedicatum, Verbum κατ' ἐξοχήν dictum: in quo et Subjecti verum Praedicatum ex radice agnoscas, et Copulam ex verbi exitu, ut in verbo pot-est prae ceteris est apertum (16). Ejusmodi vero

(14) Hartung I. c.

(15) Confer pulchre hac de re disserentem Branissium (Grundr. der Logik p. 57 sequ.) Haec dicit inter cetera — „wo denn ins Auge springt, dass das logische Sein, welches in der Copula ausgedrückt wird, durch die Bejahung und Verneinung gar nicht afficirt wird, sondern sich gleichgültig dagegen verhält.“ — Paulo ante: „Dass die Beziehung einen negativen Character hat, hebt die Vorstellung des Bezogenseins der Glieder keinesweges auf.“

(16) Conf. ama-vi ex ama et fui; ama-bam ex ama- et

Praedicatum — in quo **Copula** est semper vere inest — cum **Negatione** conjunctum, ut: **Cajus** non scribit, non amavit, ne speciem quidem prae se fert **Copulae** negatae, neque est, qui dubitet, quin ipsum negetur **Praedicatum**. At natura tamen et ratio utriusque enunciati eadem est: utriusque negatur **Praedicatum**, nihilo minus ad **Subjectum** refertur.

At, dicat aliquis, vocula negans locum ante **Copulam**, non ante **Praedicatum** obtinet: ergo non **Praedicatum**, sed **Copula** negatur. Primum illud non nego; alterum magis speciosum quam verum esse videtur; licet plurimis, qui talia volunt, haec ipsa verborum collocatio fraudem faciat. Cujus constructionis causam ex alio fonte profluere credo. Constat enim **Subjectum** rerum, qualitatum, actionum praedicandarum comprehensionem et quasi sedem esse, quae quoniam inclusae sedent, loquentis demum intelligentia depromuntur et **Copula** est referuntur ad **Subjectum**. Habet itaque est hoc vim duplicem, alteram (objectivam), quae **Praedicatum** in **Subjecto** revera esse indicat, alteram (subjectivam), quae significat, loquentis cognitione et voluntate **Praedicatum** ad **Subjectum** referri. Hoc alterum vero maximi momenti habendum censeo. Nam quum **Copula** est quasi instrumentum sit, quo is qui loquitur, intelligentiam suam voluntatemque exprimit in enunciando; si hac ipsa loquentis intelligentia voluntateque enunciatio tollenda est seu neganda, aequum est idem instrumentum adhibere ad tollendum, seu **Negationem** ante **Copulam** collocare. Id quod solum interest inter enuntiatum illud, cujus **Praedicatum** ipsum natura sua negativum est (*θεός ἐστι ἀθάνατος*) atque hoc, de quo

modo diximus, cujus Praedicatum a loquente negatur. Itaque interroganti, quid intersit inter haec enunciata: *Cajus est indocilis*, atque *Cajus non est docilis*, hoc responde: primum illud ita enunciari, ut Praedicatum vi sua negativum Subjecto tribuatur, alterum vero ita, ut quod Praedicatum cogitetur positivum, id loquentis intelligentia negetur. Idem obtinet discrimen inter haec: *N. jest niekatolik*, atque *N. nie jest katolik* (17).

Tenendum esse dixi, loquentis intelligentia et voluntate Praedicatum referri ad Subjectum suum, idque Copula est indicari; particulam negantem igitur ante est positam significare, Negationem ipsam ex loquentis intelligentia venire. Quod miro quodam modo quadrat in ea, quae de particulis *οὐ* et *μή* disserui. Nam quod dixi Negatione consonante praecipue rerum ipsarum Negationem indicari, seu res natura negativas, ita ut Negatio cum re addita unam efficiat notionem negativam; id pulcherrime nunc video comprobatum hac re prae ceteris, quod consonantes illae particulae *ἀρα*, *ἀν*, *η*, — *ne*, *in*, — *un*, — *ni*, *ne*, *nie* fere semper cum Praedicato arctissime junctae Copula est ad Subjectum referuntur, efficiuntque enunciata illa, quorum Praedicatum ipsum negativum est. Jam in altero enunciationum genere, in quo Praedicatum cognitione et voluntate loquentis negatur, pro discrimine nostro, vocalem quandam exspectaveris Negationem. Ecce tibi Graecorum *οὐ*! quod in simplici sententia ante *ἐστὶ* positum negat, id est, indicat Praedicatum negari opinione ejus, qui sententiam eam edicat (18). Adde nunc exemplis, quae modo attuli, talia: *οὗτος ὁ ἀνθρώπος ἐστὶν*

(17) Confer quae Hartungius de hoc discrimine statuat II. 73.

(18) Confer ea, quae supra dixi in adnotatione,

ἀναγώνιστος, atque οὗτος ὁ ἄνθρωπος οὐκ ἔστιν ἀγωνιστής. Causam vero, cur Negationem hanc, quam Subjectivam appellavi, in aliis non conspicias linguis, supra jam tetigi, dixique positam esse in vi quadam Negationis ne propendente, nisi discrimen id Graecorum tantum sensui subtili tribuere mavis. Habet etiam οὐ particula, propterea quod Negantis est cognitione et voluntate sua, vim quandam Neganti majorem (19), soletque saepenumero voce ejus erigi, unde eam non raro in orationis capite collocatam invenies, aut in dictionibus sibi oppositis adhibitam. Conf. Hom. II. η 197. Οὐ γὰρ τίς με βίη γε ἐκὼν ἀέχοντα δέηται. II. α 262. Οὐ γὰρ πῶς τοιοῦτος ἴδον ἀνέρας, οὐδὲ ἴδωμαι. De interrogationibus idem valet: οὐ περιμενεῖς; οὐ δράσεις τοῦτο; quod vero Grammatici dicunt, ad ejusmodi interrogationes affirmans vulgo responsum expectari (20), id optime se habet. Nimirum qui interrogat οὐ particula addita, is ne negans accipiat responsum vereri videtur: affirmationem igitur exspectans ab eo, qui interrogatur, adjecta οὐ Negatione indicat fieri posse, ut contra ille, quam debeat, respondeat. Propterea denique, quod Graecum οὐ δράσεις; latine: omittes hoc? potest verti, si quis velit judicare, οὐ cum verbo δράσεις unam efficere notionem negativam, id timeo ne paulo levius sit conclusum (1).

Alia omnino et propria quadam via ingressi sunt Germani ad enunciata neganda; quam si persequaris,

(19) Ab homine negante dixi vim majorem tribui οὐ negationi, nam natura sua, ut quae rerum sit negatio (objectiva) μὴ plus valere videtur. Sed qui loquitur, is verba sua suamque opinionem voce erigere amat, unde voces heu! o! et aliae id genus, fortius pronuntiari solent, remissius eae, quae rebus vera dant nomina.

(20) Conf. Rost Griech. Gramm. p. 711. A.; Kühner, Griech. Gramm. II. p. 404.

(1) Conf. Kühner II. p. 404.

mirificum hac in re populi sensum, nec aliis notum, perspicias. Prius tamen, quam ad negandi formulam nunc quidem obtinentem accedamus, res altius paulo et a capite quodammodo est repetenda, ut historia testes excitet ac proferat eorum, quae minus philosophice quam argute dicta possint videri. Jam vero nicht Negationem novimus, ex niwiht ortam, cujus naturam et potestatem nunc in plena sententia, quasi e loco superiore, distincte licet perspicere. Nec recte judicet, qui Negationis in sermone Germanico quae nunc est ratio, eam semper fuisse credat: quum id potius omnium primum constet monumentisque comprobetur, particulam negantem, aequae atque in linguis ceteris, locum ante Praedicatum ipsum olim obtinuisse, quin etiam cum Praedicato adeo arcte fuisse conjunctam, ut Latinorum instar verborum nolo, nequeo, nescio, junctim et pronunciarentur et scriberentur. Quo refer tum Gothica tum vet. Germanica exempla nist et enist (non est), wir entuon (non agimus), ne habent, alia (2). Factum est autem, quum sensu populi naturae uberibus adhaerentis, qui vulgo omnia plene edicere et quasi digito commonstrare amat, tum maxime Negationis illo appetitu, ut simpliciter negato Praedicato adjicerentur voculae rem aliquam parvi pretii significantes, quales sunt wiht, duplici Negatione niwiht, enwiht, addito aiv, eo, io denique, neowiht, niowiht, nicht. Vocabula haec eam fere vim habebant, quae hodie verbo nichts continetur, ut apparet ex his exemplis: wir ni eigun Huses wiht (non habemus domum), wir ne mugun die nieht ahtòn erhafti wirdige (non possumus reverentia dignos judicare) (3). Jam

(2) Heyse I. 824.

(3) Bekker II. p. 95. Grimm III, 736.

vero tertio et decimo seculo docet Grimmius Negationem simplicem ne omitti licuisse, itaque significatu vocis wiht infracto, sola haec niwiht, niht, nicht negandi functa fuisse munere (4). Conferas cum illo, quod antiquitus in usu fuerat: Des n'han ich nicht vernommen, haec temporis laudati exempla: Des chunde niht geschehen; Dessen weiz Frou Herze-loyde nicht (5). Hodie particulas ne et ni frustra requisiveris, solumque nicht, Praedicato postpositum, negandi vim recepit. De qua simplicis Negationis iactura aegre queruntur Grimmius et Heyseus, tantumque abest ut postponendo nicht damnum sentiant resartum, ut tardum hoc atque inhabile nicht molestissime ferre videantur (6). At equidem id viris doctissimis assentiri dibitarim. Etenim interroganti, quid sibi velit plenum hoc Praedicatoque postponendum nicht, ingratum erga parentem suam ne Negationem, hoc respondere velim, in Negatione hac, ut in sermone universo, Germanorum sensum et cogitationem tanquam in speculo cerni, qui quum id potissimum agant, ut rerum percipiant naturam ac veritatem, quae est, non quae esse videtur (objectiv), mentis imagine et legibus linguam etiam quemadmodum ceram imprimunt. Nam si Germanum dicentem audis: Cajus schreibt nicht, liest nicht et alia id genus, hancque dictio-

(4) Grimm III. 712.

(5) Bekker II. 96.

(6) Grimm III. 712. Heyse I. 824. Grimmii de Negatione nicht haec est sententia: — „ein der Sprache nachtheiliges Ereigniss: wir haben die einfache, gefügte Form einer so oft nöthigen (?) Partikel mit einer schwerfälligen vertauscht, wir haben ihr den natürlichen Platz vor dem Verbo entzogen, und sind darum mancher feinern Wendungen verlustig worden, die in der ältern Sprache möglich waren.)

nem cum aliis comparas linguis, positiva tibi videtur, quum praesertim nihil obstat, quominus Praedicatum cum Subjecto arcte dicas conjunctum, nulla interposita Negatione. At nicht Praedicato postpositum, quod in Adverbium abiit omnino, quasi modum indicat, quo Praedicatum ad Subjectum referas, et quo Cajum scribere censeas, ita nempe, ut non scribat. Quin nicht ipsum, natura sua substantivum, quasi Objectum leve quoddam Verbo putamus additum, quod tamen ex ni et wiht compositum, rem adeo nullius pretii significat, ut nihili loco sit habendum: tamquam Cajum scribere quidem, sed quum nicht scribat, nihil scribere dicas. A qua negandi ratione unum satis est gradum facere, ut ad dictionem illam perveniamus, cujus Attributum aut Objectum cum kein conjunctum unam, negativam efficit notionem. Nam enunciata haec: N. ist kein Professor; P. trinkt keinen Wein, a positivis non est quo differant: at kein additum efficit, ut definitiones illae: Professor et Wein Negatione tollantur et contrarium praebeant sensum. Jam Copulam ist in prima illa sententia, verbum trinkt in altera, integra salvaque esse vides: definitiones tantum Professoris et vini negatione sublatae Germano apparent, negataeque proferuntur. Germanus igitur, quoniam non ipse rem negare videtur, sed rem negativam percipere perceptamque in lucem proferre, verus est philosophus: cujus minus est agere aut non agere velle, quam actum cognoscere atque reddere cognitum. Differt autem haec Germanorum Negatio a Graecis, Romanis, Slavis, qui quam sententiam intelligentia sua edicunt, eam tollunt ac negant hac ipsa intelligentia et voluntate. Videre hoc licet ex exemplis comparatis: P. trinkt keinen Wein, Polonice: P. nie pije wina. Et huc quidem etiam Graecorum μή

in constructione Accusativi cum Infin. est referendum, de quo jam supra loco suo est dictum (7). Nam quum hoc sit potissimum Accusativi cum Infin. ut rem ipsam cum Verbi forma indefinita junctam, significet talem, qualis esse apparet, sive ut rem Objectam Accusativo casu denotet; Negatio *μή* Accusativo cum Infinitivo addita rem illam objectam Negatione affectam, seu negativam esse exhibet (8). Exemplo res comprobetur: *ἔλεγε τοῦτο μή καλῶς ἔχειν* qui dicit, is rem significat Negatione *μή* affectam seu ipsam natura negativam, talemque profert, ita ut *τοῦτο μή καλῶς ἔχειν* Objectum sit verbi *ἔλεγε* cogitandum; contra *ἔλεγεν, ὅτι τοῦτο οὐ καλῶς ἔχει* hoc significat, a loquente rem ita esse cognitam, ut eam *καλῶς ἔχειν* dicere non possit, et propterea negandam censeat. In hoc *οὐ καλῶς ἔχει* is qui loquitur, particula *οὐ* negat rem pulchram esse; in altero illo *μή καλῶς ἔχειν* rem ipsam Negatione tactam percipit, atque enunciat ita esse paratam, ut non pulchra sit. Sed haec satis faciant. Ad alia transeamus, quo rei ipsius ratio ducere videtur.

Age igitur videamus de vi quadam propria Negationis, ab antiquo quidem Germanorum sermone non aliena, maxime tamen per omnes Slavorum linguas nunc etiam pertinente: quae efficit, ut Verba activa, quae rem actione sua natam aut relatam saltem ad eam actionem Accusativo casu exposcant, cum Negatione conjuncta, Objecti illius casum Genitivum expetant. Res sane mirifica et ad explicandum difficilis. Nec tamen difficultas haec Grammaticos magnopere exercuit, qui ad ellipsin, ut in aram, confugiendum esse censuerunt.

(7) Conf. Adnotationem p. 30.

(8) De Accusat. cum Infin. consule Billrothium (Latein. Gramm.) p. 303 et 304.

Nam qui linguae Polonicae provinciam hanc suscep-
runt, ii Genitivum omissis voculis *coś, cokolwiek*
(nonnihil), *nie* (nihil) explere solent (9); gaudentque
haud dubie non mediocriter, quod opinionis suae vali-
dum nacti sunt propugnatorem, Bekkerum doctissi-
mum (10). Sed de Slavicis linguis haec sententia hi-
storiam testificari nequit (11), et vereor maxime, ne res
haec ex alio fonte deducenda videatur. Bekkerus con-
tra lacunam illam quoniam exemplorum quasi aggere
explevit, rem fecit veri similem. Etenim quum linguae
vet. Germanicae haec exstent exempla: *Wir ni eigun*
Huses wiht; *ni habes Fazzes wiht* (non habes
vas); *ni fand ih in iu wiht Guates* (nihil boni in
vobis inveni) multaque similia (12); probabilis est visa
Bekkero ea conjectura, qua Genitivus post Negationem
ad normam Partitivi Genitivi referendus sit, quemad-
modum Latinorum: aliquid laboris, unus militum,
multum laboris, id et quid negotii. Jam Geni-
tivum ejusmodi licet saepe *wiht* rectore carentem in-
venias, at cogitatione tamen supplere eum cogeris.
Neque infitias ire volo, Genitivum comitem esse vocis
wiht, ut Latinorum quantum, tantum, multum, ni-
hil: tamen non omnes Genitivos Partitivos dictos el-
lipsi explicandos censeo. Nam quid facies de his dictio-
nibus: *ῥδατος πίνω, λωτοῖο φαγών, ὀπιῆσαι κρεῶν, πάσσε ἀλόξ*,
aut Germanicis: *so drinkist thu thes lutern*
Brunnen; *Gib mir thes Drinkannes*; *Si hete*
noch des Goldes von Nibelunge Lant; aut de

(9) Conf. Joz. Muczkowski, *Grammatyka języka Polskiego* pag.
198. (ed. secunda.)

(10) Bekker II. 95.

(11) Dobrowsky *Inst. Slav.* p. 619 sequ.

(12) Bekker II. 95.

Polonicis denique: *daj mi wody*, *pióra*, aliis, quorum Genitivum, nisi orationi vim inferre velis, vix omissis *zł*, *wiht*, *cokolwiek* aut *coś* expleas. Causam Genitivi hanc potius statuerim. Verbi vis activi Objectum actionis suae in Accusativo exposcit: quodsi res acta aut relata ad verbi actionem, ita est relata, ut verbi illius vi non omnino opprimatur, sed quasi instrumentum offerat, quo Verbum uti possit ad vim suam exhibendam, ita igitur, ut verbi vi illa non res tota, sed pars rei tantum quodammodo affici videatur, Objectum illud ex casu veri Objecti in casum quasi Objecti, id est, in Genitivum abiit. Dicit itaque Polonus: *daj mi wodę* (da mihi aquam), si certam appellat aquam aut ad mensuram aut ad qualitatem; contra *daj mi wody* (Genit.) si aquam in universum poscit, neque mensura neque qualitate definitam, ita ut quasi pars sit intelligenda aquae universae. Ad quam regulam facile etiam Genitivum Negatione excitatum dirigere possis. Etenim vis illa verbi activi, quae recta via contendit ad Objectum tota vi casus Accusativi sibi oppositum; immissa Negatione fracta et impedita deflectitur paulo de curriculo suo. Manet tamen impetus et cupido objecti. Sed quoniam vis verbi accessu Negationis sublata tollit etiam vim in Objectum exhibendam, concursus lenior fit. Id quod idem est, Verbo sublato atque negato Objectum non adeo afficitur, ut Accusativum ei opponat casum; quoniam tamen afficitur, lenius quidem, armis levioribus repugnare satis habet, sive Genitivum opponere. Nec desiderabit Genitivum in sermone Germanorum, qui meminerit, *nicht* verbo postpositum neque verbi hujus vim imminuere, neque casuum rationem mutare posse. Dicit igitur Polonus: *mam chleb*, *nie mam chleba*; Germanus: *ich habe Brod*, *ich habe kein Brod*. Unde quum

Negationis arctiorem quandam cum Verbo copulationem agnoscere debes, tum maxime vim ac potestatem, quam in constituenda administrandaque oratione nacta est Negatio. Adde vim hanc Negationis in linguis Slavicis tantam esse, ut non solum Objecti Accusativum, sed etiam Nominativum Subjecti, quod ad verbum esse pertineat pleniore illa existendi significatione, in Genitivum vertat: ubi notandum, verbum hoc esse negatum impersonaliter adhiberi, Polonis vero pro vulgari forma *nie jest* pleniorē illam *niemasz* seu *niema* in usu esse (13). Dicas itaque: *jest matka*, *niemasz matki*; *były córki* (fuerunt filiae); *nie było córek* (14).

Ut vero duci magnam affert utilitatem hostium vires cognovisse, ita nos vim hanc Negationis in totam sententiam perspexisse magnopere juvat. Multum enim confert ad expediendum nodum plurium Negationum: unde mirum quantum utilitatis redundat ad linguarum comparisonem, et ad Negationis potestatem clare perspiciendam. Cujus rei gratia nonnulla in memoriam sunt revocanda. Constat igitur Negationem variis impleri rebus certae definitionis causa, omniumque fere vocabulorum inire societatem, quorum significationem sublatam in propriam suam consumat determinationem. Unde natae sunt Negationes illae Pronominum vice fungentes: *οὐδείς*, *οὐτις*, nemo, nullus, niemand, kein, nikt; deinde etiam Adverbiorum tum loci, ut *οὐδαμοῦ*, nusquam, nirgends, nigdzie, tum temporis *οὐπώποτε*, nunquam, niemals, nigdy, multorum aliorum. Quodsi res praedicanda, jam negata, ad lo-

(13) Confer ea, quae in adnotatione pag. 43. de discrimine dictionum *nie jest* et *niemasz* sunt dicta.

(14) De vet. lingua Slav, consule Dobrowskyum p. 621.

cum, tempus, aut alium modum certius est definienda, fit nimirum synthetica partium orationis vi, ut quaeque determinatio, Negatione et ipsa affecta, negativa hac vi et forma enunciandae sententiae inserviat adjecta: quum praesertim populus quisque puerili aetate, quo minus acute cogitet, eo accuratius singula quaeque quasi digito commonstret. Referas huc ingentem illam Negationum apud Graecos cumulationem, cujus haec do exempla: Plat. Phaed. 25 D. *Καὶ κατὰ τὰντὰ ἔχει καὶ οὐδέποτε οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἀλλοίωσιν οὐδεμίαν ἐνδέχεται.* Plat. Parm. p. 166 A. *τὰλλα τῶν μὴ ὄντων οὐδενὶ οὐδαμῇ οὐδαμῶς οὐδεμίαν κοινωνίαν ἔχει.* Nec alienum est hoc studium tot Negationes asserendi et conjugendi ab ingenio illo Graecorum, qui quidquid percipiunt, id per omnes particulas singulari quodam sensu distincte tangunt atque conformant, et non tam ratione rem totam administrant, quam pulchre pro singularum partium confingunt proportionem. Negationum itaque cumulatio ita augetur, ut certos fines terminosque constituere nequeas, extra quos egredi non liceat: nisi hoc grammaticorum subtilitatem effugisse, addendumque censeam, agmen Negationum tunc tantum adjecto *οὐ* augeri, quum Verbum negandum, caput efficiat enunciandae sententiae, omitti vero hoc *οὐ*, si Praedicato agmen illud claudatur: ita ut saepe legas *οὐκ εἶδον οὐδένα οὐδαμοῦ οὐπῶποτε*, vix hoc: *οὐδένα οὐδαμοῦ οὐπῶποτε οὐκ εἶδον*, sed *οὐ* potius omisso. Nam quum primo loco posita Negatio *οὐ* vim prae ceteris negandi contineat, aliae subsequi videantur; vis illa si in aliam quam cadit Negationem loci, temporis, modi, *οὐ* propria sua potestate privato secundas suscipere partes nefas est.

At artificiosae huic Negationum Graecarum junctioni contraria est omnino Latinarum et Germanicarum ratio. Nam ut Romanorum quum superbia tum pru-

dentia omnia Romani imperii facere contenderat, Germanorum autem ingenium philosophicum singula omnia ad mentis rationem revocare amat; ita utriusque populi intelligentia dominatrix orationis quoque singulas particulas in unius sententiae redigit dictionem. Quare fit, ut in Romanorum et Germanorum praecipue sermone vim illam sententiae conspicias, quae singulas partes totius tantum enunciationis quasi reipublicae commodo constituat, tum etiam potissimum potestatem Negationis agnoscas, quae majore dignitate aucta atque ornata tantum abest, ut uno negato verbo sit contenta, ut quidquid quasi uno enuntiatur tenore, id Negatione afficiatur et tollatur. Praedicati igitur Negatio, Negatio est totius sententiae singularumque ejus partium. Quin ne verbum quidem ipsum opus est Negationi occupare, ut inde quasi e superiore loco deductionem partium singularum poscat: cuicunque enim juncta vocabulo, quo vis nititur enunciationis, totam moderatur sententiam. Itaque dicas Latine: Nunquam, aut nusquam te vidi; Non vidi te unquam aut usquam; Germanice ich habe dich nirgends (niemals) gesehen; auf keine Weise (keinesweges) darf ich es thun. Idem valet, si Subjectum Negationem continet, aut Objectum enunciationis: Nemo unquam hoc ausus est, Niemand hat es je gewagt; Neminem usquam vidi hoc agere, Niemanden habe ich irgendwo es thun sehen. Perpauca vero sunt exempla duplicis Negationis, nec satis idonea, quae regulam illam in dubitationem possint adducere, ut hoc Ciceronis Verr. II. 24, 60. Debebat Epicrates nummum nullum nemini. Tib. IV. 7. 8. Non ego signatis quidquam mandare tabellis, ne legat id nemo, velim. Ter. Andr. I.

2, 34 (15). Quodsi denique apud Germanos etiam lingua praecipue vulgi Negationum fit cumulatio, ad syntheticam illam verborum junctionem est referenda, quam in Graeco novimus sermone (16). At revera Negationis iteratio a Latini et Germanici sermonis ingenio adeo est aliena, ut bis in una sententia qui neget, Negatione altera tollat alteram atque affirmet, non pariter quidem ac si omnino non negaverit, sed ita tamen, ut Negatione negata, rei definitionem quasi contra obtrectatores tueri et in integrum restituere videatur.

Nec multum differt Negationis Gallicae ratio, nisi hoc liceat addere, dictiones *personne* et *jamais*, quum sint revera positivae atque expleant non simplicem quidem ne Negationem, at infirmam tamen, fieri non potuisse, ut ne hoc depellerent. Dicas igitur: *Il n'y a personne, Il n'y était jamais*. Sed quoniam voces illae *pas*, *point*, *guère* hoc potissimum agunt, ut ne particulam certius determinent, addita vero *personne* et *jamais* Negationi jam satisfacere videntur; non est cur illa *pas*, *point*, *guère* plenae jam Negationi adjiciantur. Cave igitur ne dicas: *Personne n'y était pas*. Quodsi inde colligeres, Negatione altera tolli alteram, non recte foret ratio conclusa. Imo, quum implendae tantum Negationi studeant Galli, abjiciant quod sit supervacaneum; Negationes loci, temporis ac modi amice sese excipiunt.

Reliquum est ex hacce inquisitione, ut videamus, quae sit Slavorum ratio in Negatione saepius repetenda. Quae ad Graecam illam quum prope accedit, tum est, quo ab ea differat. Etenim fugit certe neminem dubios fuisse quodammodo Graecos, utrum ad artem an ad

(15) Conf. Willh. Weissenborn Latein. Grammatik p. 218.

(16) Heyse I. 835.

philosophiam deferrent principatum, ita ut nunc synthetica ratione illa Negationes cumularent, nunc intelligentia duce unius Negationis agnoscerent vim in totam sententiam. Ne offendaris igitur exemplis, ubi una sufficit Negatio: Xenoph. Mem. I. I. 11. οὐδεις πώποτε — ἤκουσεν, Soph. Oed. R. οὐ γὰρ εἰς εἶδον γέ πω. Aliter paulo rem sentit Slavus, qui eodem atque Graeci sensu Negationes olim repetitas, ita unius sententiae junxit comprehensione, ut singulas cogitatione complectens nulla possit carere. Non ea igitur plurium Negationum est ratio, ut altera alteri adjiciatur, non adjecta facile possit abesse, sed ea potius, ut altera juvet alteram, omnes arctissime copulatae sententiam definiant. Quocirca non verbum solum negant Slavi, sed etiam loci, temporis, modi significationes negatas proferant necesse est. Confer exempla dialecti Polonicae: Nie widział nigdy nikogo (neminem unquam vidit); Żaden żadenmu nie nigdy nie uczyni (nullus quidquam ulli praestat unquam). Itaque integrae enuntiati partes cogitationis vi comprehenduntur.

Res itaque de Negatione atque vi ejus, quam in sententiam simpliciter enuntiatam exhibet, absoluta esse videtur, sin minus ita pertractata, ut capita rerum attigerimus, atque noverimus quum Negationis veram notionem, tum varias variis in linguis formas, dissimiles quidem saepe, at omnes verae significationis imaginem prae se ferentes. Quod vero de Negatione sententiae simplicis dictum, id maximam partem in compositas sententias quadrare debet. Nam quum duarum aut plurium sententiarum seriem eo tantum modo continues, ut simplicis sententiae partes singulas dissolvas videarisque unaquaque novum quid enunciare, aut ita etiam, ut quod separatim possis edicere, id cogitatione comprehendas et compositae orationis ambitu; non video, quo jure,

Negationis naturam et leges non easdem compositae orationis quas simplicis esse dicas. At sunt tamen quae si non omnino differant, notatu sint digna. Quamquam enim sententiae complicatae, aequae atque simplices, cogitata enunciant, quoniam tamen compositae hae simplicis nascuntur evolutione, aut plurium simplicium affinitate arctius inter se junguntur, fit ut altera alterius vi juvari, altera ex altera pendere videatur, cunctaeque non tam ad loquentis praedicationem referantur, quam potius ad mutuam sui causam. Ut in civitate bene constituta singulorum civium vita et fortuna reipublicae debetur, ita in orationis ambitu omnia ad unam rem valent praedicandam. Multa vero in oratione indicant signa arctiorem enunciatorum conjunctionem et quasi amorem: nobis hoc potissimum in animo est videre, quae sit Negationis in sententiis compositis ratio et moderatio.

Nec falso colligat, qui dicat Negationem, si quid adhuc prae se tulerit, quod ad loquentis solum arbitrium pertineat, id in sententiis compositis abjicere debere, quarum altera alterius sit causa, omnium autem res ipsa, non loquentis opinio aut voluntas. At extincto plurimis in linguis discrimine illo inter Subjectivae et Objectivae Negationis formas factum est, ut Negatio compositarum sententiarum non multum a simplicibus illis differat. Et denuo Graeci est ingenii solius, particularum *οὐ* et *μή* differentiam ad compositae orationis naturam accommodare. Quam differentiam a nobis descriptam hic eo magis videbis comprobata. Quin *μή* particulae usus in sententiis compositis, quarum una pendet ex altera, adeo maximus est, ut Negationem hanc hujusmodi potissimum sententiarum comitem a multis Grammaticis laudatam reperiās (16). Nec sola

(16) Confer ea, quae supra in Adnotatione de Buttmanni et Thierschii doctrina sunt dicta.

est haec nota, qua Negationem agnoscas legibus orationis continuæ obedire. Nam quo magis conspicua fiat vimque suam proferat in lucem, vōcularum vulgo init societatem, quae quod conjunctionem sententiarum efficiunt atque exhibent, Conjunctiones appellantur. Cum quibus Negatio ita saepe coalescit, ut unum efficiat vocabulum. Conferre licet quin pro qui non, nisi pro si non, tum etiam $\mu\eta$ significatione *ἢνα μῆ*. Horum tamen omnium ea nonnisi promi possunt, quae ad Negationis vim perspiciendam comprobendamque valeant atque afferant lucis aliquid linguarum comparationi.

Jam primum naturali quadam via et ratione simplex quaeque sententia ita discedit, ut Subjecti aut Objecti nomen circumscribatur accuratius, circumscriptum ad sententiam principalem illam referatur. Duplex vero ejusmodi enunciationis est ratio. Etenim aut loquentis sola est circumscriptio perspicuitatis gratia adjecta, aut, quod satius est, rei ipsius est quasi evolutio. Prima igitur illa circumscriptio arbitrii est ejus, qui loquitur, et quasi externa vi cum sententia conjungitur principali; evolutio vero, quam dixi, quum rei ipsius fiat natura et necessitate, cognata est cum re ipsa, et propria quadam intimaque vi cum illa cohaeret. Quod discrimen maxime consentit cum vi et usu particularum *οὐ* et $\mu\eta$. Nam *οὐ* relativam negat sententiam, quae loquentis animadversione adjecta rem accuratius praedicat: $\mu\eta$ contra negativae est sententiae cum principali illa ita cohaerentis, ut ejus vi atque causa evoluta appareat. Est haec Negatio, quam Objectivam, in re ipsa latentem dixi. Quae quoniam mutuum quandam rerum enuntiarum testatur cognitionem, atque indicat alteram pendere ex altera, non repugnat ne minime quidem grammaticorum vulgari definitioni.

Nonnulla videamus exempla, quorum Xen. Anab. I. 3.: οὐ δυνάμενοι καθέξειν ὑπὸ λύπης καὶ πόθου πατρίδων, γονέων, γυναικῶν, παίδων, οὓς οὐποτε ἐνόμιζον ἔτι ὄψεσθαι solam relativa sententia indicat loquentis animadversionem et opinionem pariter ac Xen. Anab. 2. 2. Ἐν μέσῳ ἡμῶν καὶ βασιλέως ὁ Τίγρης ποταμὸς ἐστὶ νανσίπορος, ὃν οὐκ ἂν δυνάμεθα ἄνευ πλοίων διαβῆναι. Contra Eurip. Phoen. οὐ γὰρ ὁ μὴ καλὸν οὐποτ' ἔφην καλόν hoc dicit, quod natura sua non sit pulchrum. Similiter Soph. Phil. 409. Ἐξοῖδα γάρ νιν παντὸς ἂν λόγον κακοῦ Γλώσση θιγόντα καὶ πανουργίας, ἀφ' ἧς Μηδὲν δίκαιον ἐς τέλος μέλλει ποιεῖν. Eandem etiam causam habet οὐ particula in enunciationibus relativis, quarum Negatio vi quadam contradictionis fortior est, et a loquente ad eum finem voce erigitur, ut loco rei negatae contrarium potius aliquid ponatur (17). A ceteris linguis Negationis hanc differentiam alienam esse, jam supra docuimus; notandum est tamen apud Romanos non particulam cum pronomine relativo, quod ad praecedentia nemo, nullus, nihil, quis? ecquis? referatur, omnino coaluisse, quo arctiorem quandam junctionem relativae enunciationis ejusdemque negativae cum superiore sententia agnoscas. Exemplis quid opus est? Cic. Verr. II. 36. Repertus est nemo, quin mori diceret satius esse; de nat. Deor. III. 12, Horum nihil est, quin intereat. Utrum vero quin hoc ad Weissenbornii opinionem ex Nominativo qui cum Negatione juncto ortum dicamus, an Billrothio assentiamur quin illud ad veterem Ablativum Pronominis qui referenti, Negationis vim ac naturam nihil attinet. Mihi quidem videtur sola relatio vocula hac contineri, nulla casus notatione, quod addito is adeo comprobatur, ut quin nonnisi relativa negatio esse videatur (18).

(17) Conf Hartung II. 116. seq.

(18) Weissenbornius p. 424. hoc docet: „Der Unterschied von

Cic. de Nat. deor. II I.13. Nihil est, quod sensum habeat, quin id intereat. II. 9. Cleanthus negat ullum cibum esse tam gravem, quin is die et nocte concoquatur. Adde exempla, ubi quin resolve nequeas ita, ut Pronomen appareat cum Negatione: Ter. Eun. 4, 7, 21. Nunquam accedo, quin abs te abeam doctior. Cic. Planc. 28. Nunquam illos aspicio, quin hujus meritum in me recorder (19). Ad eandem dirigas regulam verborum constructiones notissimas: Facere non possum quin; non dubito, non dubium est quin; non abest, nihil-paulum-non procul-haud multum abest quin; non-vix-aegre abstineo quin; tenere me, temperare mihi non possum, non impedio, non recuso, non-nihil praetermitto quin, alias quarum quin nullam casus prae se fert rationem (20). Quodsi ab ejusmodi dictionibus in linguis aliis abest Negatio, variae id populorum intelligentiae tribuas varioque sensui, de quo infra suo loco dicetur. Enunciata enim: ich kann nicht umhin, dies zu thun, aut: ich zweifle nicht, dass er zu Hause sei, significant, dicta haec: dies zu thun et dass er zu Hause sei, vera Objecta cogitari verborum: ich kann

qui non und quin war daher ursprünglich der, dass bei jenem mehr die Person selbst, bei diesem mehr die Lage oder Beschaffenheit derselben beachtet, und bei jenem die Negation stärker als bei diesem hervorgehoben wurde." In qua opinione hoc verum esse censeo, in dictione qui non Pronomen relativum itaque personam plus valuisse, voce quin autem Pronomen relativum, casus discrimine nullo, in solum relationis abiisse signum. Puta factam esse Negationem relativam. Conf. etiam Zumptium p. 466. (ed. octava).

(19) Zumptius p. 467. quin huic vim dictionis ut non tribuit: quod affinitatem certe utriusque dictionis demonstrat, dubito an eandem originem etiam.

(20) Zumpt p. 468.

nicht umhin, atque ich zweifle nicht; quae Objecta id omnino significant, quod quis non praetermittit aut non dubitat. Latina contra locutio ad syntheticam illam sententiarum junctionem est referenda, ita ut Romano non dubito quin sit domi dicenti obversaretur sententia negativa non esse domi, aut cogitata ab ipso loquente, aut ab alio quo prolata. Quae negativa sententia primae illi dictioni adjecta mansit integra, atque effecit, ut Negatio, etiamsi facile abesse posset, vim tamen et locum obtineret.

Jam arctior est sententiarum junctio earum, quae ita invicem sese juvant, ut altera alterius efficiat necessarium supplementum Objecti nomine. Fit vero junctio haec aut particulis *ὅτι* et *ὥς*, quarum ope sententia copulata Objectum Accusativi explet; aut particula *ὥστε* (*ὥς*) id indicante, quod ex dictione aliqua sequitur; aut *ἵνα*, *ὥς*, *ὅπως*, *ὅσῃ* Conjunctionibus, quae cum verbis sibi additis id significant, quod quis prima enunciatione assequi studet. Omnes ejusmodi sententiae, quum natura sua cum praecedentibus cohaereant, quis non videt, quam minime loquentis arbitrio sint enunciatae, habendaeque potius pro rei ipsius explicatione? Quodsi Negatione sunt affectae, discrimen illud inter particulas *οὐ* et *μὴ* constitutum, nisi hoc falsum est, necesse est prae se ferant. At enunciationes particulis *ὅτι* et *ὥς* inductae, etsi a loquentis arbitrio et opinione aliena esse videntur, formam tamen ac speciem saepe adeo induunt simplicis sententiae ex loquentis animadversione profectae, ut non vi sua negativae, sed a loquente negatae appareant. Id quod maximum est discrimen inter constructionem Accusativi cum Infinitivo aut Participii, atque sententiam *ὅτι* et *ὥς* particulis praedicatam. Illa enim Objectum Accusativi forma et ope, principali adjicit verbo, *μὴ* particula negativam Objecti naturam

indicans; haec vero quoniam Conjunctionibus ὅτι et ὡς specie integrae enunciationis, quasi loquentis tantum intelligentia edicta videtur, prout res fert, negata apparet ab eo qui loquitur, itaque οὐ particula gaudet. Rei lucem afferant exempla ex Rostio nonnulla (1): Xen. Hell. III. 2, 19. Ἐνόμισαν αὐτὸν μὴ βούλεσθαι μάλλον ἢ μὴ δύνασθαι. Xen. Cyr. I. 2, 7. ὃν ἂν γινῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς (non reddentem, objective). Xen. Mem. I. 7. 1. αἰεὶ ἔλεγεν, ὡς οὐκ εἴη καλλίων ὁδὸς ἐπ' εὐδοξία, ἢ δι' ἧς ἂν τις ἀγαθὸς τοῦτο γένοιτο, ὃ καὶ δοκεῖν βούλοιτο. Similis est ratio ὥστε Conjunctionis, cujus ope prolata sententia negari potest aequae οὐ particula atque μή, prout sententia haec adeo non necessario consequitur ex antecedente aliqua, ut conclusio loquentis potius iudicio facta videatur, aut contra eventus rei ipsius ejusque quasi evolutio significatur; id quod modorum etiam Indicativi et Infinitivi facit discrimen. Dicit igitur Xen. Cyr. I. 45. ταχὺ τὰ θηρία ἀνηλώκει, ὥστε ὁ Ἀσινάγης οὐκέτι εἶχεν ἀντιῶ συλλέγειν θηρία (conclusio ejus qui narrat); contra Plat. Phaed. p. 66. D. ἐκπλήττει (τὸ σῶμα) ὥστε μὴ δύνασθαι ὑπ' αὐτῶν καθορᾶν τάληδες [eventus rei necessarius (2)]. Negatio μή denique comes est Conjunctionum ἵνα, ὡς, ὅπως, ὅθρα, quippe quae Sententias quum proferant consilium indicantes, quo quis dicat aut faciat aliquid, significant simul utrumque enunciatum ita cohaerere, ut alterum carere nequeat altero: id quod optime docet, sententiam particula finali prolatam ejusque Negationem verbis praecedentibus contineri, non a loquente enunciari enunciatamque negari. Quin Negatio haec adeo ex praecedentibus pendere videtur, et adeo

(1) Rost p. 714 et 715.

(2) Conf. Hartung. II, 118.

retro vim suam exercet, ut junctarum sententiarum unicum habeatur vinculum, saepeque absorpta vera Conjunctione solum μή et jungendi et negandi suscipiat partes, aliquando etiam hanc ob causam repetatur. Xen. Mem. I. 2, 7. φόβοιτο μή ὁ γενόμενος καλὸς καγαθὸς τῷ τὰ μέγιστα ἐνεργετήσαντι μή τὴν μέγιστην χάριν ἔξοι(3). Oὐ post Conjunctiones illas raro obvium ita explices, ut Negationi tunc majorem vim tribuas, censeasque voce erigi loquentis. Confer exempla Hartungii.

Nec Romanus in ejusmodi enunciationibus vim illam Negationis ex praecedente dictione repetitam eoque referendam non sensit: quo factum est, ut ne illud simplex, hoc loco et Conjunctionis et Negationis signum integrum conservaret, nec accessione vocis alienae auctum. At ne hac significatione aut vocalem longam suam retinuisse cogita, aut brevem, quae alibi valet, propter vim majorem produxisse. Particulae ut, pariter atque Graecae ἵνα, ut omnino depelleretur, accidit. Itaque dicitur Latine: Cura, ne denuo in morbum incidas, et sim. Invenies tamen nonnunquam ut non loco ne simplicis, habetque id causam suam. Nam si Romanus dicit: Tum forte aegrotabam, ut ad nuptias tuas venire non possem, hoc significat, absentiam suam non necessarium neque proprium aegritudinis fuisse eventum, sed tum forte ex hoc fonte fluxisse (4).

Huc quoniam est perventum, locus idoneus est, quo dicamus de singulari, Graeco et Romano sensui propria ratione negandi ea, quae aliis, Germano prae ceteris, non neganda esse videntur. Habeo vero in animo Negationem, quam Graeci adhibent post verba: κολύω ἐν-

(3) Hartung II. 117.

(4) Conf. Zumpt p. 462.

λαβοῦμαι, ἀπαγορεύω, εἶργω, ἀπέχομαι, πᾶν, φεύγω, ἀρνοῦμαι,
 ἀντιλέγω, ἀπιστέω, φοβοῦμαι, φόβος ἐστι, δέδοικα et alia,
 Romani pariter post verba vereor, metuo, timeo,
 saepe etiam post haec: caveo, terreo, deterreo,
 conterreo; quibus addere licet ea, quae supra jam
 occasione dictionum relativarum oblata attigimus: non
 dubito, facere non possum, alia. Causa Negatio-
 nis ad varium populorum sensum tunc relata, nunc etiam
 est repetenda. Etenim Graeci et Romani si dicunt:
 δέδοικα μὴ ἀποθάνῃ, vereor ne moriatur, mors animis
 eorum ita obversatur, ut non mori cupientes, enuncia-
 tum hoc negent. Quod cum alio verbo conjunctum et
 ex eo quasi suspensum, negativam vim suam tolli non
 passum est: quoniam vero constructio haec particularum
 μὴ et ne prope ad illam accedit, quae verborum est
 consilii et optationis, Grammatici docent post verba
 verendi aliaque id genus μὴ et ne adhibenda esse,
 quoties verendo id cupias, ne fiat quod verearis. Non
 multum differunt dictiones ἀρνοῦμαι μὴ εἰδέναι (τὸ μὴ εἰδέ-
 ναι ei qui loquitur, maxime cordi est), κωλύω σε μὴ ταῦτα
 ποιεῖν, impedio, obsto, quominus hoc facias, aliae
 quae syntheticam illam rationem exhibent. Pariter
 Slavi etiam sentiunt, quorum Verendi verba omnia
 Negationem poscunt, ut videre licet ex Polonico: bo-
 je się, aby nie umarł (vereor ne moriatur). Nec
 recedunt a dictione hac Galli, quorum verba: crain-
 dre, avoir peur, empêcher, ne nier pas, ne
 douter pas, similia, semper que et ne particulae
 subsequuntur. At mirum quantum Germanorum differt
 intelligentia, quorum quum id potissimum referat, ut
 rem unamquamque, qualis sit, talem percipiant atque
 enuncient perceptam, res timorem excitantes ae-
 que atque impeditas Objecti habent loco. Dicas
 Germanice: Ich fürchte dass er sterben wird;

ich hinderte ihn dies zu schreiben. Quodsi constructiones illas cum hac Germanorum dictione comparas, hoc agnoscas necesse est, populos illos fortuitae animi affectioni magis paruisse, veritati studuisse Germanos: ad quam veritatem Graecos etiam saepe accessisse docent exempla: Xeno. Cyr. VI. 2, 18. ἡμᾶς δὲ βάλλοντες κωλύουσιν τοῖς ἐν τῷ ἰσοπέδῳ μάχεσθαι. Plat. Lys. διακωλύουσι τοῦτο ποιεῖν, ὃ ἂν βούληται.

Ita Negatio μή, quam nunc novimus, adeo non logica rerum ratione nititur, ut ad fortuitum potius usum referenda esse videatur. Nec quidquam obstat, quominus absit; quum praesertim Graeca doceant exempla abfuisse eam reverra. Quodsi exigit rerum ratio, ut enunciata illa ex verbis verendi aliisque id genus suspensa negentur, Graeci atque Romani Negationi illi supervacaneae alteram plena vi negantem adjiciant necesse est. Nimirum Germanorum haec verba: ich fürchte dass er nicht sterben wird, Graece vertenda sunt: δέδοικα μὴ οὐκ ἀποθάνῃ, Latine: vereor ne non moriatur. Unde facile colligas, Germanis nonnisi alteram valere Negationem: Graecis atque Romanis Negationem alteram visam fuisse tolli altera. At multo usu evenit, ut μή in ejusmodi dictionibus, vix unquam omissum, semper revera supervacaneum, vi negativa omnino fere amissa, in solam particulam conjungendi abiret. Facile tamen desiderabant Graeci pro sensu suo Negationem. Quoniam vero μή illud, usu tritum, non satis faciebat, augendam censuerunt Negationem addita οὐ particula, fortius negante. Unde nata mihi videtur fatalis illa constructio duplicis Negationis μή οὐ, quae Grammaticos tantopere exercuit exercebitque haud dubie in posterum. In quo hoc mirum est, quod μή οὐ tum maxime adhibetur, quum verbum primae enunciationis etiam Negatione est affectum; tam-

quam imminuto ponderi μή particulae adjiciatur aliquid, ut Negationes utriusque enunciati pari librentur momento. Vere igitur Graecum hoc est: οὐκ ἀπαρνοῦμαι μὴ δοῦσαι: sed μή solum, verbi ἀπαρνοῦμαι aliorumque id genus comes, minore vi negabat, quam ut verae Negationi satisfacere, suisque ponderibus cum praecedente οὐκ ἀπαρνοῦμαι librari posset. Quo factum est, ut post verba illa, quae supra attulimus, praecipue negata, μή οὐ diceretur. Plat. Rep. I. p. 354. B. οὐκ ἀπεσχόμεν τὸ μὴ οὐκ ἐπὶ τοῦτο εἰθεῖν ἀπ' ἐκείνου. Soph. Trach. 90. οὐδὲν ἐλλείπω τὸ μὴ οὐ πᾶσαν πνθίσθαι τῶνδ' ἀλήθειαν πέρι. Majorem vim Negationis οὐ ex eo agnoscas, quod vulgo vocabulo adjicitur, quod Orationis quasi columnen est; non raro fortiori οὐχί locum concedit. Quid quod ipsa haec aucta Negatio adeo in omnium venit ora, ut simplicis μή Negationis vice fungeretur, adhiberetur vero maxime post verba δεινόν, αἰσχρόν, αἰσχύνη ἐστι, αἰσχύνομαι aliaque id genus. Herod. VII. 5. οὐκ εἰκός ἐστι Ἀθηναίους μὴ οὐ δοῦναι δίκας τῶν ἐπόνησαν. Soph. Ant. 97. πείσομαι γὰρ οὐ τοσοῦτον οὐδέν, ὥστε μὴ οὐ καλῶς θανεῖν. Herod. I. 187. Δαρείω δὲ δεινὸν ἐδόκεε εἶναι μὴ οὐ λαβεῖν τὰ χορήματα. Illustre exemplum est Xen. Apoll. extrem. οὔτε μὴ μεμνησθαι δύναμαι αὐτοῦ, οὔτε μεμνημένος μὴ οὐκ ἐπαινεῖν, cujus οὐκ extremum quis non videt eo fine additum, ut Negatio verbi ἐπαινεῖν eo magis erigeretur voce, atque simul cum verbo ἐπαινεῖν praecedenti μὴ μεμνησθαι opponeretur (5)?

At contraria utriusque Negationis copulatio, quae formam οὐ μὴ praebet non minus difficilem ad explicandum, nescio an ad ellipticam rationem est revocanda, id quod Hartungio etiam placuit (6). Etenim quo-

(5) Conferre juvat hac de re Buttmanni excursus XI. ad Orationem in Midiam 146. seq

(6) Hartung II. 155.

niam exstant exempla, qualia sunt Xen. Mem. II. 1, 25. οὐ φόβος μὴ σε ἀγάγω ἐπὶ τὰ ταῦτα πορίζεσθαι, Arist. Eccl. 646. οὐχὶ δέος, μὴ σε φιλήσῃ, facile ea quae οὐ μὴ exhibent ejusdemque videntur esse naturae, omisso verbo verendi aut alio simili explicari possunt. Eur. Her. οὐ γὰρ τι μὴ ψεύσῃ γε κήρυκας λόγος, Arist. Nub. 505. οὐ μὴ λαλήσεις, ἀλλ' ἀκολουθήσεις ἐμοί. Quae ellipsis, vel propter modi rationem probabilis, ita simplicem praebuit negandi formulam, ut saepe usu ejus offendaris, nec facile audeas ad ellipsin confugere.

Nescio an ellipseos ope abuti videantur ii, qui μὴ Negationem, quoniam pendere eam omnino credunt ex alio quo verbo, ne in simplicissimis quidem enunciationibus, sui esse juris negant. Nam in sententiis, quibus optamus, admonemus, hortamur, μὴ ad omissa βούλομαι, κελεύω, αἰτοῦμαι, ὄρα, in interrogationibus ad supplenda ἀπορῶ, πυνθάνομαι, in jurejurando denique ad verba olim antegressa ὀμνυμι, ἴστω et alia revocari solet (7). Quod quantum absit quum a simplicitate ejusmodi dictionum, tum a verisimilitudine, quis non videt? Neque tamen mihi contigit adhuc, omnia exempla ad certas quasdam regulas dirigere: quare liceat rem in incertis potius relinquere, quam conjecturas angere cumulo; quum praesertim multo facilius sit falsum intelligere, quam verum invenire.

Finem denique dissertationis faciat Negatio sententiarum, quae tam arcte secum cognatae sunt et conjunctae tamque pulchre sibi respondent invicem, ut plenissimam eandemque verissimam efficiant orationem. Etenim una enunciari nequit, nisi enunciatur et altera: sive posterior ut valeat, prior antecedat necesse est. Unde Protasis et Apodosis sunt dictae. Quod vero

(7) Conf. Rost. p. 712.

Protasi et Apodosi edicitur, non modo ad loquentis arbitrium aut opinionem non potest referri, sed utique una enunciatio provocat ad alteram. Fons igitur et causa utriusque quum minus in loquentis intelligentia, quam in rei natura et ratione quaerenda esse videatur; optimo jure Negationem μή desideraris additam conjunctionibus ἐπεὶ, ἐπειδὴν, ἕως ἄν, ὁπόταν, ὅταν, εἰάν, ἤν, εἰ, quae cognationis sententiarum signa sunt, et quasi adminicula earum amicitiae. Nec falsa foret conclusio. Sed quoniam particularum aliae conditionem indicant qua quid efficitur, aliae causam facti alicujus, aliae denique nonnisi temporis significant rationem, quo factum esse aliquid narratur; videtur temporis significatio ex loquentis tantum animadversione profecta esse, ita ut Negatio etiam ei qui loquitur tribuenda, οὐ particulam exposcat. Legis igitur vulgo οὐ post ὅτε, ἐπεὶ, ἐπειδὴ. Non multum vero abest causa rei a temporis notatione, quo res fit aliqua; nam temporis significatione, quo aliquid est factum, saepissime et causa, cur factum sit, continetur. Unde Conjunctionibus Causalibus, quae dicuntur, vulgo οὐ additur, nonnunquam tamen etiam μή II. φ. 95. μή με κτεῖν', ἐπεὶ οὐχ' ομογάστριος Ἐκτορός ἐμι. Thucyd. III. 3. Ἐπειδὴ — οὐκ ἔπειθον τοὺς Μαινηνάτους, προκαταλαβεῖν ἐβούλοντο. Contra Plut. Thes. 28. τὰς δὲ περὶ ταύτην (τὴν Φαίδραν) καὶ τὸν υἱὸν δυστυχίας, ἐπεὶ μηδὲν ἀντιπίπτει παρὰ τῶν ἱστορικῶν τοῖς τραγικοῖς, οὕτως ἔχειν θετέον, ὥς ἐκεῖνοι πεποιθήκασιν ἅπαντες. Xen. Anab. I. 8, 23. οὐκ ἔξῃν εἰσελθεῖν παρὰ τὸν στρατηγόν, ὅποτε μή σχολάζοι. Μή utriusque exempli causam veram ex re petitam indicat, non a loquente cognitam atque prolatam. Quodsi rerum denique praedicandarum est ea ratio, ut altera conditionem ferat, qua fiat vel non fiat altera; μή semper fere particulis conditionalibus εἰ, εἰάν, ἤν additum docet, et rem ipsam et Negationem ejus in mutua re-

rum relatione et junctione habere causam suam, simulque Apodosin rem continere ejusmodi, ut fieri nequeat, nisi fiat id quod Protasi enuncietur. Οὐ Negatio aegrefertur: excusatur tamen aut contradictionis vi, aut impetu ejus qui loquitur et Negatione fortius pronunciata ad se ipsum negandi vindicat potestatem. Confer H. ω 296. *Εἰ δέ τοι οὐ δώσει ἔόν ἄγγελον εὐρύοπα Ζεὺς, οὐκ ἂν ἔγωγε σ' ἔπειτα ἐποτρύνονσα κελομένη, νῆας ἐπ' Ἀργείων ἵεναι, μάλα περ μεμαῶτα.* Soph. Aj. 1131. *Ἐἰ δὲ τοὺς θανόντας οὐκ ἔῃς θάπτειν* (suppl. *ψέξειας ἂν δαιμόνων νόμους*). Nec tunc adeo arcte animadvertas Protasin conjunctam esse cum Apodosi, ut necessario et quasi natura sua ferat conditionem rei, quae continetur Apodosi; sed ita potius, ut quum forte referatur ad Apodosin, loquentis intelligentia voluntateque conditionis suscipiat partes. Subtili huic discrimini miro quodam modo assentiunt Romani. Nam si veram et in rerum natura positam conditionem edicunt, tale quid significantem, quod nisi fiat, nequaquam fieri rem alteram sinat; Negatio cum particula si conjuncta vim suam ad rem et totam enunciationem pertinere significat, ante si vero posita docet se quasi caput esse orationis. Id quod vocem nisi exhibet. Confer. Cic. Or. I. 6. Nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium artium scientiam consecutus. Contra Si non ejus est sententiae, quae fortuita tantum rerum ratione conditionem fert alteri: neque Negatio porrigit tunc vim suam in Protasin aequae atque in Apodosin sed unam tantum negat Protaseos notionem, forte quidem, non necessario; ut in hoc Ciceronis exemplo de Fin. V. 28. Si mala non sunt, jacet omnis ratio Peripateticorum. Nihil vides Protasin revera conferre ad veritatem Apodoseos. Non falso igitur discrimen inter nisi et si non a Weissenbornio statui-

tur ita, ut Negatio in voce nisi inclusa ad rationem pertineat, quae sit inter Protasin et Apodosin, non vero a si sejunctum efficiat unam tantum Protaseos vocem, attineatque Subjecti atque Praedicati rationem (8).

Sed hoc jam loco liceat consistere. Nam etsi res nostra minus absoluta, quam fortasse ad veritatem paulo propius adducta esse apparet; tamen quoniam et Negationis significationi, et linguarum comparationi videtur satisfactum, dissertationis finem facere non dubitamus. Prae ceteris quis non videt inquisitionem Negationis, quae apud Graecos subtili illo οὐ et μή particularum discrimine continetur, multum abesse, ut omnibus numeris absoluta videatur. Sed quum hujusmodi dissertationis breve curriculum, tum rei difficultas ac paene novitas, studium meum acceptum faciant velim iis, qui has subtilitatum latebras nobiscum perreptare non fastidierint. Mihi quidem et laboris optimum praemium, et ad majora capessenda incitamentum maximum erit, si aut ipse doctrinae honorem quodammodo auxisse alicui videbor, aut eos, qui rem satius intelligunt, adduxisse ad Negationem et rem Grammaticam ita pertractandam, ut verae doctrinae loco possit haberi. —

(8) Weissenborn p. 482. „Bei jenem (nisi) bezieht sich die Negation auf das Verhältniss des Nebensatzes zum Hauptsatze, bei diesem (si non) auf das Verhältniss des Prädicats zum Subjecte im Nebensatze oder auf ein Wort.

CORRIGENDA.

Pag. 21. ver. 11. turbutum, lege: turbatum.

— 30. — 3. indivia, lege: invidia.

— 44. — 33. ἀγαδὸν, lege: ἀγαθὸν.

— 52. — 15. dibitarim, lege: dubitarim.

— 58. — 12. οὐδεμίαν, lege: οὐδεμίαν.



BIBLIOTEKA KÓRNICKA²

218826